



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXIX. De Officio Et Potestate Ivdicis Delegati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

mittentis : cum hæc iuris præsumptiones sint, quibus locus non est, si de contraria veritate constet.

QUARTA. Quæ Episcopus Vicario suo specialia, seu in generali & ordinaria Vicariatus potestate non comprehensa committit, pertinentne ad iurisdictionem eius ordinariam, an delegatam? Interest autem id scire, quia si ad delegatam iurisdictionem spectant, ab eius sententiâ appellari potest ad Episcopum; Et mortuo, vel deposito Episcopo, non extinguitur iurisdictione Vicarij, si causa cœpta sit: Secus autem dicendum, si ordinariæ iurisdictionis censeantur. Resp. cum Sbrozio lib. 2. q. 55. Garcia p. 5. c. 8. n. 41. Sanchez lib. 3. disp. 29. n. 8. Si ea quæ specialia sunt vel initio commissionis generalis Vicariatus officio annectantur, vel postea tanquam Vicario Generali, seu intuitu Vicariatus committantur, in ordinariam iurisdictionem transire censebuntur: quia accessorium sequitur naturam principalis. Sin autem Vicario quæ specialia sunt, seorsim & non intuitu, aut sub nomine Vicariatus committentur, pertinebunt ad delegatam.

TITVLVS XXIX. DE OFFICIO ET POTESTATE IUDICIS DELEGATI.



Um superioribus Titulis dictum sit de Ecclesiæ Ministris, qui principaliter ad diuina tractanda instituuntur, sequitur, vt de ijs agatur, qui ad causas externas iudiciales destinati sunt: Et primò de Iudice delegato, seu extraordinario, postea de ordinario: eò quòd delegatus à Principe maior, ac dignior sit alijs ordinarijs iudicibus, quibus in causa sibi delegata imperare potest, c. sanè 11. hoc tit. Videri potest Franc. Coscius.

Pro Tituli autem huius declaratione duo quæri possunt: I. Quomodo differant officium, & potestas. Alterum Quis sit Iudex delegatus. Ad 1. resp. Sub hoc tit. tractari, quidnam Iudex delegatus præstare obligatus sit, & quidnam præstare possit. Nam alia sunt quæ possumus, alia verò quæ etiam facere debemus. Hæc officij dicuntur, illa potestatis. Hanc interpretationem innuit Abbas in rubr. & traditur à Bartol. Cartagena ead. rubr. obser. 2. Aliam affert Felinus in rubrica ex Ioan. Andrea; Quòd officij significet ipsam actum secundum seu exercitium;

potestas autem sit in habitu, seu in actu primo.

Ad alterum resp. Delegare significat, alterum in locum suum sufficere. videl. Vt si Titius, qui meus debitor est, debitorem suum Caium substituatur, vt pro ipso mihi soluat, dicitur is debitor delegatus à Titio, l. Si Titius, 33. ff. de nouationibus. Itaque Iudex delegatus (qui extraordinarius appellatur c. de cætero, de transactionibus) est, cui causa iudicialis concessa est, alterius vice, & auctoritate cognoscenda, ita vt iurisdictionem habeat deriuatam à committentis iurisdictione. Ita fermè definit Hostiensis hic, & sumitur ex l. 1. §. Qui mandatam, ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictione. Atque in eo differt à Iudice ordinario, quòd is propriam iurisdictionem habere censeatur, idè quæ suo iure causas cognoscere, ac definire possit. l. more, 5. iun. Gl. ver. suo iure, ff. de iurisdictione. Iudex autem delegatus non suo iure, sed alieno vtitur, cit. §. Qui mandatam. Solum mouet difficultatem; quòd Vicarius Generalis seu Officialis Episcopi iurisdictionem ordinariam habere dicatur, & tamen pro-

propriam non habeat. Respond. Iurisdictione Vicarij Generalis, ab alijs ordinarijs multum differt, & quibusdam modis conuenit cum iurisdictione delegata ad vniuersitatem causarum, sicuti notauit Piascius in praxi p. 2. c. 4. n. 11. Absolutè tamen potius dicenda est ordinaria, quam delegata; propterea quòd distincta non sit ab Episcopali iurisdictione: Et ob hanc ipsam causam addidi verba vltima definitioni, quòd Iudex delegatus iurisdictione deriuatà habeat, per quod differt à iurisdictione Vicarij Generalis, quippe qui propriè deriuatam non habet, sed eandem. Delegatus autem Iudex diuersam iurisdictionem obtinet, quamuis dependentem, ac veluti cessam, seu vtilem. Videri potest Gl. in cit. §. Qui mandatam, & Bertachinus tract. de Episcopis lib. 4. p. 7. q. 9. n. 11.

CAPITVLVM I.

Quia quaesitum.

PARAPHRASIS.

Accidit interdum, vt impetrantes à Sede Apostolica rescriptum iustitiæ, minis ac terroribus impediatur, quòd minus eo vti possint, & reos in ius vocare, ac proinde mandatam Apostolicam eludatur. Hoc casu respondit Alexander III. Iudicem delegatum per Ecclesiasticam censuram coercere posse non tantum eos, qui in iudicium venire detrectant, sed etiam eorum fautores principales, si manifestè cogitum sit, quòd processum causæ impedire conentur: Eò quòd malè facientes, & consentientes pari pœna, etiam scripturæ testimonio, digni sint. ad Roman. 1.

SVMMARIVM.

1. Potentium mina plerumque iustum metum inferunt, si spectata personæ qualitate efficaces existimantur.
2. Iudex delegatus iurisdictionem exercet non tantum in partes contententes, sed etiam in eos, qui eius iurisdictionem, siue causa processum impedire vel turbare volunt.

3. Ordinarium remedium, quo iudices ecclesiastici ordinarij & delegati contra contumaces, & iura ecclesiastica violare attentantes vti debent, est censura ecclesiastica, praesertim excommunicationis. Extraordinarium est inuocatio brachij secularis.
4. Malè faciens & consentiens pari pœnâ digni sunt. Est autem consensus quadruplex; negligentia, consilij, cooperationis, auctoritatis seu mandati.

NOTANDVM I. Potentium minæ iustum plerumque metum seu terrorem inferunt. Quod tamen intelligi debet, si spectata qualitate personæ, alijsq. circumstantijs, minæ efficaces existimètur, quia qui minas intentat, eas exequi solitus est. Quia de re Abb. hic n. 3. Felinus n. 2. & dixi de hac re lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 3.

NOTANDVM II. Iudex delegatus non tantum iurisdictionem exercet in partes contententes, sed etiam in alios, qui iurisdictionem eius, siue processum causæ impedire, vel turbare volunt, tamen si id in delegatione expressum non fuerit. Ita Gloss. marg. hic, quam Canonistæ communiter sequuntur.

Sed obijci potest: Quòd iurisdictione delegata stricti iuris censeatur, neq. extendenda aut proroganda vltra causam, vel personas in rescripto expressas, c. cum olim, 32. & c. P. & G. 40. hoc tit. Cùm delegatus non propria, sed demandata iurisdictione vtatur: fines autem mandati diligenter custodiendi sunt, nec vltra prorogandi, l. diligenter, 5. ff. mandati, c. cum dilecta, 22. de rescript. Respond. cum Francisco Coscio super hoc c. n. 21. Delegatum non excedere fines mandati, si ea præter, quæ necessaria sunt ad causæ executionem, & mandati impletionem. Nam qui mandat principale, censeatur etiam accessoria mandare; seu qui executionem finis committit, etiam media, quæ necessaria sunt, committere censeatur, c. præterea, 5. hoc tit.

NOTANDVM III. Ordinarium remedium, quo Iudices Ecclesiastici tam ordinarij,

rij, quàm delegati, contra contumaces & inobedientes, aut iura Ecclesiastica violare attentantes, vti debeant, esse censuram Ecclesiasticam, præsertim excommunicationis: Extraordinarium autem seu in subsidium datum remedium, esse inuocationem brachij secularis. Hoc autem extraordinario vtendum non est, nisi propter necessitatem, si ordinarium, & propriè Ecclesiasticum remedium sufficere non videatur. Ita sumitur ex *cit. c. vn. de statu Regular. in 6. & c. 1. c. quoniam, 14. in fine, de offic. Ordin. c. dilecto, 6. de sent. excommun. in 6.*

4 NOTANDVM IV Malè faciens, & consentiens, pari pœna digni sunt. Sed quod attingit pœnam à iudice infligendam, aptè distinguit hic Gl. ver. pari pœna, Innoc. n. 1. consensum esse quadruplicem; Primus negligentia, si quis delictum impedire possit, ac negligat. Requiritur tamè, saltem in ciuili foro, vt aliquis ex aliqua iustitiæ, nō solius charitatis, obligatione impedire teneatur, v. g. famulus mortem domini, aut filius patris, sicuti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 5. Sin autem alius quispiam specialiter non obligatus impedire negligat, si dolus absit, in ciuili foro non punitur, teste Gl. reg. 5 o. ff. Felino hic n. 4. Alter est cōsensus consilij. Nam consilium delinquendi præbens, delicti particeps fit, atque pari pœna puniendus est, si consilium efficax fuit, quia hominem permouit ad malum patrādum, qui alioquin id non patraisset, l. non solūm, §. si mandato, ff. de iniurijs, c. sicuti dignum, 6. §. Qui verò, de homic. iun. Gl. ver. prouocassent. Sin autem etiam absque dato consilio patraisset, mitius puniendus est, quàm patrator. Ita distinguit Dynus reg. 62. in 6. n. 3. Abb. hic n. 5. Felin. n. 8. Tertius est consensus cooperationis, si furantem v. g. vel occidentem quis adiuuet, illi clauas, huic ensē præbendo. Et talem crimine participantem pari pœna afficiendum esse docet Bartol. in l. si quis opem, 3. 4. ff. de furtis, Abb. hic membr. 3. dummodò auxilium socij efficax fuerit, & causa delicti, sicuti hanc doctrinam limitat Felinus hic n. 14. & dixi lib. 3. Th. mor.

tr. 2. c. 5. n. 6. §. Nomine participantis. Quartus est consensus auctoritatis, seu mandati: Si is, qui imperandi auctoritate præditus est, vt Prælatus, Pater, Dominus malum patrari iubeat. Talis censetur principalis delinquens, ideòq; maiore etiam pœna dignus, quàm executor, secundum Gl. hic, & dixi de hoc lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 6. n. 2.

CAPITVLVM II.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Si quis literas iustitiæ à Sede Apostolica impetrauit ad Iudices delegatos, & postea aliæ literæ (ad eosdem Iudices) destinatae sunt, oppositum quiddam cōtinentes, nulla facta mentione priorum literarum, tum Iudices superfedere debent, donec consulto Sum. Pontifice, eius voluntatem plenius cognoscant: ne alioquin literarum varietas commissæ causæ terminationem impediatur.

SUMMARIVM.

1. *Cum diuersa litera ad eosdem Iudices destinatae sunt, & dubium sit de mente Pontificis, petenda est prius eius declaratio, quàm causa desinat.*
2. *Quotiescunque iudex dubitat de rescripto Apostolico, vtrum per aliud reuocatum, vel immutatum sit, Sedes Apostolica consulenda est.*
3. *Non censetur derogatum Apostolico rescripto priori, per posterius, si de priori mentio nulla sit.*

Hoc c. variè explicant Canonistæ, vti videre est apud Abbatem hic. Sed nulla est difficultas, si sequamur explicationem Gl. in c. 3. ver. priores, de rescript. Andr. Barbatia hic prope finem c. Quod literæ posteriores ad eosdem iudices destinatae sunt: Tali casu, si dubium sit de mente Pontificis, eius declarationem petendam prius esse, quàm

quam causa definiatur. Sin autem ad diuersos iudices rescripta veniant, quid agendum, seu quomodo res componenda sit, alibi definitum reperitur, videl. in c. si autem 9. c. pastoralis, 14. de rescript. Nam hoc casu diuersitatem duorum rescriptorum expediebat certis legibus definiri, ne alioquin vel utriusque Iudices seorsim contraria iudicent, vel contentio aut diffidium inter eos oriatur: quæ non ita locum habent, si diuersa rescripta ad eosdem, vel eundem iudicem dirigantur. Accedit, quod non multum ad causæ iustitiam interest, vtra pars iudicium delegatorum cognoscat, cum id extrinsecum & accidentale sit. Sin autem circa ipsam substantiam, aut processum causæ opposita mandata Apostolica veniunt, apparet necessarium esse, vt Papa prius consulatur: cum alioquin commissarius exequi non possit, quod mandatum est, si mandantis voluntas ipsi cognita non sit.

2. **NOTANDVM I.** Quod ex hoc textu generaliter colligunt Abb. hic n. 1. Felinus n. 1. Barbatia col. 1. Specul. tit. de offic. legati, §. sexto, Quotiescunque Iudex dubitat de rescripto Apostolico, vtrum per aliud rescriptum reuocatum, vel immutatum sit, Sedem Apostolicam consulendam esse. Neque Legatum, etiam à latere, se intromittere posse, Felinus docet, ac Speculator n. 33. Quia eiusdem est vtilem, ita & rescriptum interpretari, cuius & condere. Et consentit hic c. si quando, 5. de rescript. c. cum venissent, 12. de iudic.

3. **NOTANDVM II.** Sicuti lege aut rescripto Pontificis contrario non censetur derogatum statuto, vel consuetudini speciali, si de ea mentionem non faciat, c. 1. de constitut. in 6. ita neque derogatum censetur rescripto priori, si de eo mentio nulla fiat. Quia tam multa à Sede Apostolica rescripta promanant, vt ea, eorumque contenta singula reminisci Pontifex non possit. Ex quo tamen non inferas, idem de alijs inferioribus Ordinarijs sentiendum esse: Sed de his interdum, consideratis circumstantijs, præsumi poterit, quod posteriore contrario rescripto prius reuocare aut

immutare velint, tametsi de eo mentionem non faciant.

CAPITVLVM III.

Si pro debilitate.

PARAPHRASIS.

Delegatus à Sum. Pontifice, si causam expedire impeditus sit, potest eam alteri idoneo subdelegare, qui orta aliqua difficultate delegatum principalem consulere debebit. Excipitur vero, nisi causa delegata grauis, & ardua sit; talis enim alteri subdelegari non potest.

SUMMARIVM.

1. *Delegatus à Principe subdelegare potest; alterumque cogere ad acceptandam subdelegationem.*
2. *Subdelegare autem debet personis discretis & idoneis, qui sunt bona conscientia, & rerum iuriumque periti, & rati.*
3. *Non potest tamen delegatus Principis subdelegare causam grauem seu arduam.*
4. *Iudex alteri causam subdelegare potest, reseruato sibi hoc iure, vt consilium suum requirendum sit, quo casu, eo non requisito, sententia lata nulla est.*

NOTANDVM I. Delegatus à Principe subdelegare potest, seu alteri causam delegare. Ita etiam habetur in l. à iudice, 5. C. de iudicijs. Dicitur autem subdelegatus, cui causa vel tota, vel pars seu articulus, v. g. testium receptio, à delegato committitur, secundum Guil. de offic. delegati, §. 1. princ. Ratio alia reddi non debet, nisi quod hoc speciale priuilegium delegatis Principum, ob eminentiam eorum, à lege datum sit, c. pastoralis, 28. hoc tit. Ex quo colligitur hic Gl. ver. liberum, Barbatia, col. 4. Abb. n. 1. Hippolytus Riminaldus, n. 6. quod delegatus Principis, etiam partibus inuitis, causam alteri delegare possit: Imò tametsi nulla eum

Ffff 2 cogat

cogat necessitas, uti aperte constat ex cit. c. pastoralis: Sed necessitatem ad id inferuire, ut delegatus per Principis auctoritatem alterum cogere possit ad acceptandam delegationem, arg. c. 1. c. præterea, 5. hoc tit.

2 NOTANDVM II. Delegatus subdelegare debet personis discretis, & idoneis. Per discretionem indicatur viri boni, ac prudentis conscientia, per idoneitatem iurium peritia, atque rerum experientia. Nam hæc duo in iudice requiruntur, bona conscientia, & rerum iuriumque peritia, secundum doctrinam Baldi l. hac lege, C. de sententijs ex periculo recitandis, Barbatia hic col. 3.

3 NOTANDVM III. Delegatus Principis causam sibi commissam alteri subdelegare non potest, si grauis seu ardua sit. Ratio reddi debet ex c. ult. §. is autem, hoc tit. iuncto c. is cui, 12. eod. in 6. Quia causæ grauitas persuadet, industriam personæ delegatæ singulariter electam fuisse. Hoc loco Barbatia plura specialia affert, propter causæ arduitatem.

Primò: In causâ graui si quis ipsemet se sistere non possit, non tenetur procuratorem mittere. argum. c. 2. de procurat. & docet Gl. in Clement. vn. ver. fautores, de foro compet. Innoc. in c. 1. n. 1. de procurat.

Secundò: Quæ ardua & magni momenti sunt, Prælati expedire non potest sine consensu aut consilio Capituli, secundum Innoc. in c. edoceri, n. 4. de rescript. & c. causam, de iudic. Abb. in c. at si Clerici, §. de adulterijs n. 16. de iudicijs. Quæ de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 9.

Tertiò: Inferiores iudices, aut commissarij, quæ ardua sunt, expedire non debent sine relatione ad Superiorem, argum. c. ad hæc 8. de offic. Archidiaconi, & Exod. 18. ubi Moyses iuxta consilium Iethro cognati sui constituit iudices inferiores, qui quæ maioris momenti erant, ad ipsum referre deberent.

Quartò. Papa, quæ ardua sunt, absque consilio Cardinalium agere non debet, teste Ioann. Monacho, c. super eo, 4. n. 3. de hæret. in 6. Tametsi enim Papa plenitudinem potestatis vniuersalis habere dicatur, iuxta Clement. 1. ut lite pendente, tamen & ipse

canones ac rationabiles Ecclesiæ consuetudines seruare debet; alioquin peccabit. Ita bene ex Paulo Castrensi notauit Probus in addit. Ioann. Monachi cit. c. super eo, n. 26.

QVÆRES: Quænam causæ arduæ censendæ sint. Respondent communiter hic Canonistæ, Decius n. 5. Felinus. col. 3. & alij apud Menoch. in arbitrarijs Iudicum qq. casu 205. Iudicis arbitrio id relinquendum esse. Sed idem Decius considerans verba huius c. probabiliter docet, Tametsi causa aliqua absolutè grauis sit, v. g. matrimonialis, quam Episcopo Sum. Pontifex delegauit, si tamen, ut ordinariè fieri solet, non adeò grauis videatur, ut sine ipsius præsentia expediri nequeat, posse eam alteri personæ peritæ, v. g. Officiali delegari. Idemque tradunt Abb. c. ex literis, 4. not. 2. ibid. Imola n. 1. de in integr. restit. Quod maximè hoc tempore verum videtur, postquam causæ matrimoniales doctissimis multorum commentarijs explicatæ sunt. Quamuis contrarium doceat Sbroz. lib. 2. de Vicario Episc. q. 43. n. 18.

NOTANDVM IV. Iudex alteri causam subdelegare potest, reseruato sibi hoc iure, ut consilium suum requirendum sit. Quo casu consilium necessariò petendum, & debito tempore expectandum erit: ita ut sine eo aliter sententia lata irrita haberi debeat: quia delegatus formam delegationis transgressus fuit, ut docet hic Abb. n. 6. Decius n. 8. & dixi in c. venerabili extra 37. Ceterum autem delegans reseruare sibi, ut consilium eius adhibeatur tanquam viri boni, ac prudentis, non tanquam iudicis: cum Iudex causæ huius cognitionem iurisdictionalem à se amouisse, & alteri imposuisse censetur, ideòque vnà cum illo iudicare non possit, ait Gl. hic communiter recepta, ver. te consulte. Etenim vniuersim loquendo, tametsi alicuius consilium de iure, statuto, vel pacto requirendum sit, non tamen necesse est consilium sequi. Veruntamen, si quis alteri causam committat, eo expresso, ut consilium eius sequendum sit, tunc facit se participem iudicij, ita ut sententia lata non valeat, nisi ipso assentiente, uti bene hic docet Decius n. 9.

n. 9. Abb. n. 7. vbi regulam tradit ex Bartol. l. 1. §. si plures, ff. de exercitoria actione, vbi consilium requirendum est ab eo, qui officij particeps est, absque eius assensu gesta non valent.

CAPITVLVM IV.

De causis.

PARAPHRASIS.

Si causa alicui deleetur, intra certum tempus expedienda, post lapsum eius temporis expirat iurisdictione delegati, nisi partes communi consensu præfixi temporis terminum prorogant.

S V M M A R I V M.

1. Si causa committitur iudici delegato intra certum tempus definienda, eo lapsa expirat iurisdictione & commissio eius: non item, si iudici ordinario Superior eius ita talem causam decidendam præcipiat.
2. Possunt tamen partes terminum à delegante præfixum prorogare, nisi delegans prohibuerit, vel ob bonum publicum terminus sit præfixus.
3. Iudex delegatus reum ob contumaciam excommunicare potest.
4. Iudex teneatur delinquentibus pœnam imponere, qua legibus definita est, neque potest in aliam mitiorem commutare, aut dispensare, si sit inferior Principe.
5. Potest tamen propter particulares circumstantias minuentes vel aggrauantes pœnam arbitrari, seu interpretari.

NOTANDVM I. Si Iudici delegato tempus præscriptum sit, intra quod causam definire debeat, censetur esse forma substantialis, qua non obseruata expirat mandatum & commissio eius. Sin verò Iudici habenti iurisdictione ordinariam Superior eius præcipiat, vt talem causam intra certum temporis terminum expediat, malè agit differendo, sed valet sententia etiam postea lata. Ita no-

tauit hîc Decius n. 9. Ratio discriminis: Quia in priore casu Superior delegato dat iurisdictionem eius causæ, & quidem limitatè secundum formam commissionis ac mandati. In posteriore autem casu Superior Iudici dat iurisdictionem eius causæ, sed modum tantum tempestiuæ expeditionis præscribit. Qui modus seu conditio substantialis cenferi non debet, cum non faciliè existimandum sit, Superiorem iurisdictionem concessam alicui adimere, seu ad se reuocare velle. Videri potest Gl. in Clem.

NOTANDVM II. Tametsi terminus expediendæ causæ à delegante præfixus sit, tamen partes communi consensu vterius prorogare seu extendere possunt. Ita habetur in l. 2. §. Si & Iudex, ff. de iudic. & docent Canonistæ in c. super eo, 12. de appell. Ratio est. Quia terminus causæ citius expediendæ in fauorem partium constitutus videtur: ergo huic suo fauori renuntiare possunt, arg. c. ad Apostolicam, 16. de Regular.

Excipe primò: Nisi delegans prohibuerit, ne terminus prorogaretur, cit. l. 2. §. Si & Iudex.

Excipe secundò: St appareat, non ob partium fauorem, sed ob bonum publicum terminum temporis præfixum esse, quia specialiter interfit v. g. Ecclesiæ, vt controuersia aliqua beneficialis citò expediatur, sicuti Decius notauit cit loco. Quæ ipsa causa est, quòd terminus à iure communi definitus litibus seu controuersis ciuilibus expediendis, à partibus prorogari non possit, cum iurium communium publicus fauor sit, vt docent DD. in l. properandum, 13. C. de Iudicij. Est autem tempus litibus finiendis constitutum triennium, cit. l. properandum. Idque etiam secundum ius canonicum obseruandum esse, existimat Barbatia hîc col. 2. quandoquidem l. illa *properandum* correctâ non reperitur, atq; Reip. vtile est, vt controuersia, quàm fieri potest, celeriter definiantur, c. 2. de sent. & re iudic. Sed contrarium docet Gl. in cit. l. properandum, vers. Item quid, arg. c. penult. de iudic. quæ difficultas ibi examinabitur cum Gl. ver. non obstante.

His verò addendum: Si Iudici delegato

Ffff 3 tem-

tempus definitum sit, intra quod causam definire, seu expedire debeat, id trahendum non esse ad executionem sententiæ: Quin etiam post lapsum eius temporis exequi poterit; cum iurisdictione eius omnino finita non sit, arg. c. significasti, 7. hoc tit. & tradit hinc Ioan. Andr. n. 19. Abb. cit. c. significasti n. 2. & sumitur ex c. quærenti, 26. infra eod. Sed secus dicendum, si terminus præfixus sit iurisdictioni delegati, cum etiam executio sententiæ iurisdictionis actus sit.

§. Illis etiam.

SI partes à delegato Iudice legitimo modo citatæ, accedere vel eiusdem mandato parere recusent, pœnam eis infligere debet, si quæ iure canonico definita sit; alioquin pro qualitate delicti, & causæ, arbitriam imponere.

NOTANDVM I. Duplex esse potest contumacia rei; una in non veniendo, cum citatus fuit; altera in non parendo Iudicis mandato. Et esse priorem ac veluti duplicem contumaciam, quæ in non veniendo est, ex communi tradit Decius super rubr. de iudic. not. 7. Barbatia hinc col. 7. Ob utramque autem, si reus in contumacia perseveret, excommunicationis sententia infligi potest, teste Decio ubi supra, Barbatia col. 8. & Felino num. 9. ubi ait, omnem delegatum Iudicem coërcitionem aliquam habere, ita ut si aliæ pœnæ, aut mulctæ non sufficiant, excommunicare possit, arg. c. ex literis, 29. hoc tit.

NOTANDVM II. Iudex tenetur delinquentibus pœnam imponere, quæ legibus definita est: Neque potest in aliam mitiorem commutare, aut dispensare, si sit inferior Principe. Et habet id locum etiam in Iudice ordinario, si dispensandi potestas in lege Superioris concessa ei non sit, uti constat ex l. 1. ff. ad SC. Turpillian. & contra Gl. hic ver. eandem infligas, docet Ioan. Andr. n. 4. Abb. n. 16. Barbatia col. 8. Menoch. in arbitrarijs qq. casu 96. n. 10. & seqq. Farinac. in praxi criminali, tract. 13. q. 17. n. 3. S. Th. 2. 2. q. 67. a. 4. Porro tamen Iudex pœnam legi-

bus decretam minuere non possit dispensando, multò minùs augere; nihilominus, propter particulares circumstantias minuente, vel aggravante, arbitrari seu interpretari potest, non recedendo à mente legislatoris (quippe qui omnes casus particulares prævidere non poterat) seu iorem aut mitiorem pœnam inferendam esse, uti bene docet Abb. cit. n. 16. & sumitur ex l. aut facta, 16. ff. de pœnis.

CAPITVLVM V.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Si causa alicui delegata sit, tamen si partes nullum à delegatè mandatum acceperint, neque in literis expressum sit, quòd Iudex delegatus contumaces punire, eisque censuram inferre possit, nihilominus ea auctoritate delegantis exercere potest; Nam eo ipso quòd causa alicui commissa est, censentur alia omnia commissa, quæ ad causam expediendam pertinent, seu necessaria sunt.

SUMMARIVM.

1. *Iudex ordinarius & delegatus pœnas imponere potest iuxta causæ ac delicti qualitatem.*
Non tantum partibus contendentibus, sed etiam testi falsum dicenti in iudicio, si per hoc iurisdictioni delegati impediatur, vel retardetur.
2. *Concesso vno, censentur concessa alia omnia, sine quibus illud expediri non potest.*
3. *Et vice versa prohibito vno censentur etiam prohibita reliqua, per quæ pervenitur ad illud.*

NOTANDVM I. Non tantum Iudex ordinarius, sed etiam delegatus pœnas imponere potest, iuxta causæ ac delicti qualitatem, Quia alioquin eius potestas inefficax foret, ac parum timeretur. Neque de hoc dubitari potest, si sermo sit de partibus con-

tendentibus, erga quas iurisdictione delegata est. Sed dubium est de alijs personis, v. g. si testis falsum dixisse coram delegato conuincatur, vtrum eum punire possit, an verò cognitionem ac punitionem ad delegantem remittere cogatur. Ad hoc respondent Abb. hic n. 4. Felinus in c. 1. n. 15. hoc tit. Si per hoc, quòd testis in iudicio falsum dixit, iurisdictione eius impediatur, aut retardetur, à delegato puniri posse; alioquin non posse: cum in eum iurisdictionem directè non acceperit; sed solum in consequentiam, quatenus ea necessaria est ad causæ expeditionem, sicuti etiam indicat Gl. fin. in l. quæsitum, 13. ff. de testibus. Arbitratur autem Decius n. 5. in fine; quòd testis falsum deponens regulariter puniri possit à Iudice delegato; quia, nisi tali potestate præditus esset, non timeretur, sed facillè eluderetur eius potestas, arg. l. nullum, 14. C. de testibus.

NOTANDUM II. Concesso vno, consentur concessa alia omnia, sine quibus illud expediri nõ potest. Consentit c. prudentiam 21. §. Sexta, in fine hoc tit. Quia alioquin frustranea & inefficax esset facultas, nisi etiam ad necessaria media seu adminicula se extenderet. Exempla huius regulæ affert Felinus hic n. 4. Si Papa concesserit Episcopo, vt charitativum subsidium, aliàmque collectam petere possit, concessum illi est recalcantes cogere. Legatus missus ad componendam pacem inter subditos Regis, potest rumpenti pacem statuere pœnam. Et Procurator ad vendendum equum, potest de eversione eius cauere: non autem potest terminum solutionis faciendæ prorogare, ac veluti mutuo dare. Quia mandati fines seruandi sunt, neque ad diuersa, & non connexa extendendum, de quo dicam infra c. cum olim, 32. hoc tit.

Deinde excipi debet: Quòd ea commissio non censentur, quæ specialia esse solent, & sine speciali atque expressa commissione exerceri non possunt, v. g. absolutio ab excommunicatione Papæ reseruata, vt habetur in c. prudentiam. §. adijcimus.

Sed quæstio est: Si id, quod mandatum fuit, absque altero expediri possit, absolutè

loquendo, sed non facillè; seu, vt aliter dicam, si aliquid non simpliciter necessarium sit, sed secundum quid, vt causa commodiùs expediatur, num eò vsque mandatum se extendat. Negat hic Felinus cit. n. 5. Contrarium verò docet hic Decius n. 6. Sed præstat, vt dicamus cum Barbatia hic col. 6. Nullam de hac re generalem regulam tradi posse; sed in eiusmodi commissionibus ac mandatis, imprimis attendendum esse ad mentem, seu voluntatem committentis, tum verò ad qualitatem negotij, & capacitatem aliàsque circumstantias ipsius delegati, aut mandatarij. Denique sciendum, in gratijs seu meris beneficijs ampliorem interpretationem fieri posse, iuxta l. 3. ff. de Constit. Principum, vt ea etiam concessa censeantur, quæ cum vsu rei concessæ communiter coniuncta esse solent: Vt si alicui singulari personæ concessa sit facultas tempore interdicti Missam audiendi, potest etiam domesticorum suorum comitatum adhibere, iuxta c. licet, 11. §. 1. de priuil. in 6. & tradunt DD. apud Sairum in thesauro lib. 3. c. 5. n. 29.

His addit Gl. fin. hic; Quòd & vice versa, prohibito vno, consentur etiam reliqua prohibita per que peruenitur ad illud.

Exempli causa: Cùm clerico in sacris matrimonium prohibitum sit, etiam sponsalia prohibita censerentur, vt constat ex l. oratio, 16. ff. de sponsal.

Quòd si ponamus plura esse media perueniendi ad rem prohibitam, tum exactè discerni debet, vtrum vnum eorum in prohibitione expressum fuerit causa restrictionis, an causa exemplificationis: v. g. Si prohibitum sit, ne aliquod personarum genus ad prælaturam eligatur, intelligi etiam debet de postulatione ac præsentatione. Quia principalis intentio statuentis est prohibere, ne tales minùs idoneæ personæ promoueantur. id autem perinde est, siue fiat per electionem, siue per præsentationem. Sin autem Pontifex Legato à latere, alioquin speciali facultate prædito dispensandi cum illegitimis, etiam ad prælaturas, prohibeat, ne illegitimè natorum electiones confirmet, non debet prohibitio extendi ad postulationem: cùm dispar ratio sit electione-

tionis & postulationis in ordine ad imperandam admissionem, vel confirmationem.

CAPITVLVM VI.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Duobus Iudicibus causa à Sede Apostolica commissa erat, sed non addita clausula; Si vnus cognoscere non possit, aut nolit, vt alter solus cognoscat. Dubitatum est, an hoc casu alter Iudicem causam alij, etiam ipsi Coiudici suo, subdelegare possit. Ad hoc respondet Alex. III. affirmatiuè,

SUMMARIUM.

Iudex iudicare potest, vt delegatus & subdelegatus; non debet tamen variam, sed vnā sententiam proferre: quod locum habet in omnibus casibus pendentibus à iudicio intellectus; secus probabiliter est in casibus pendentibus ab arbitrio voluntatis.

NOTANDVM Vn. Iudex duplici iure, ac veluti duas personas agendo iudicare potest, videl. vt delegatus, & vt subdelegatus. Sed necesse est, vt vnā, non variā sententiam proferat, vti bene hic monet Abb. n. 2. Decius prope finem, iun. addit. Quia qua conscientia iudicat aliquid iustum esse vt delegatus, eādē quoq; vt subdelegatus, arg. c. penult. §. Porro, iun. Gl. ver. nihil agit. Et admonet Decius post Abbat. ex c. cum olim, de sent. & re iudic. id locum habere in omnibus negotijs pendentibus à iudicio intellectus: Vt si quis duplici iure fungatur in præsentando clerico ad beneficium, v. g. vt Ecclesiæ Præpositus, & vnus ex Canonicis; vel si Procurator à duobus constitutus ad præsentandum, vel eligendum, quod in talibus casibus diuersos nominare non possint. Sed in pendentibus ab arbitrio voluntatis secus dicendum, ait Decius, contra Lapum: v. g. si duæ electiones in discordia factæ sint,

quod contemptus, seu ad eligendum non vocatus, possit vni earum se opponere, vt rescindatur, alteri se non opponere. Quod probabiliter dictum videtur, saltem si rationem afferat contemptus, cur huic, non alteri electioni se opponat, ne alioquin ex inuidia vel æmulatione procedere videatur.

QUÆRES. Quæ fuerit ratio dubitandi in hoc c. Ea fuit: Quia si duobus Iudicibus causa commissa fuit non in solidum, sed vti simul cognoscant, non addita clausula, Si non omnes, vnus sine altero cognoscere non potest. c. causam, i 6. hoc tit. Sed solutio est: quia alter, cui socius partes suas committit, non censetur solus, seu iure singulari iudicare, sed tam suo, quam socij nomine. Et cum à iure concessum sit delegato Principis partes suas alteri subdelegare, fauor iste seu priuilegium ob Principis honorem datum restringi non debet, sed potius amplè interpretandum, vt etiam ipsi coiudici commissio fieri possit.

CAPITVLVM VII.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Si Iudex à Sede Apostolica delegatus executionem sententiæ à se latæ Ordinario committat, is verò vel nolit, vel non possit (alijs sibi resistentibus) exequi, non prohibetur delegatus ipsemet, Apostolicis sibi commissa auctoritate exequi, & eos qui resistent, Ecclesiastica censura coercere.

SUMMARIUM.

1. *Delegatus Principis, cui absolutè causa commissa est, habet potestatem cognoscendi, decidendi, exequendi, vel executionem alteri committendi.*
2. *Delegatus Papæ, si Ordinarius vel Princeps laicus inuocatus non velit, vel possit succurrere, potest ipse manu armata sententiam suam executioni mandare.*
3. *Episcopus temporali inuisione carens potest habere armatos officiales paratos*

ratos ad executionem iustitiæ, si opus sit aduersus contumaces.

NOTANDVM I. Cui causa à Principe absolute delegata est, is non solum potestatem habet cognoscendi, ac decidendi, sed etiam exequendi, vel alteri executionem committendi. Consentit c. ex literis, 29. hoc tit.

NOTANDVM II. Delegatus Papæ sententiæ à se lata executionem frequenter committit Ordinario loci, quippe per quem id melius fieri potest, cum Officiales idoneos habeat, qualibus ipse Iudex delegatus firmè caret. Si tamen velit, & possit, non prohibetur exequi per se, vel proprios Ministros, ut hic docent Innocent. Abb. Barbat. Decius & alij, contra Gl. magnam not. 1.

QVÆRITVR hic primò: Quæ fuerit ratio dubitandi in hoc c. Respond. Eam fuisse; Quia si Iudex delegatus executionem sententiæ alteri mandauit, censetur functus officio suo, & iurisdictione à se abdicasse, ut eam reassumere non possit, saltem si alter exequi cœperat, iuxta c. in literis, 9. hoc tit. Responso est facilis, si dicamus cum Abb. hic n. 7. Barbat. col. 3. Quòd in casu huius c. delegatus iurisdictionem non abdicarit, quia ordinariū non constituit subdelegatum, sed solum ministrum ac veluti Officialem suum, implorando auxilium eius ad sententiæ executionem.

QVÆRITVR secundò: Vtrum delegatus Papæ manu armata sententiam executioni mandare possit? Respondeo & Dico I. Certum esse debet, quòd delegatus brachium seculare in subsidium inuocare possit, si aliter causam sibi commissam expedire, aut sententiam à se latam exequi non possit. Ita docent hic Innoc. & Ioann. Andr. n. 7. Abb. n. 8. Barbat. col. 6. Decius n. 4. Zabar. in Clem. vn. de offic. delegati. Prob. addit. ad Ioann. Monachum in c. vn. n. 4. de statu Regul. in 6. D. Marthæ de iurisdic. p. 1. c. 50. Cum enim Episcopo talis potestas inuocandi brachij secularis concessa sit, argum. c. Administratores, 26. causa 24. q. 3. cur non etiam delegata Papæ, cum in causa sibi commissa

maiore illo potestate & auctoritate fungatur, c. sanè, 11. hoc tit. Neque refert, quòd in Apostolicis mādatis interdum clausula illa addi soleat; *Inuocato etiam, si opus sit, auxilio brachij secularis.* Nam etiam si non exprimat, tacitè intelligitur: cum non rarum id sit, ut quæ de iure insunt conditiones, exprimantur, quia expressa magis apprehenduntur, quàm subintellecta. Hæc autem facultas, si opus sit, inuocandi brachij secularis de iure inesse videtur, cum alioquin potestas iudici delegato commissa sepe inutilis esset, nec executioni mandari posset.

Dico II. Delegatus Papæ, ordinariè loquendo, manum armatam ipsemet conducere non debet, sed aliunde accersere, inuocando auxilium in primis Ordinarij Ecclesiastici, si sufficiens sit, alioquin Principis laici: Sed si isti succurrere ei non possint, aut uolint, adeòque in defectum etiam ipsemet delegatus manum armatam conducere poterit. Ita hic docet, & DD. conciliat Decius cit. n. 4. Ratio est: Quia delegatus non potest aliquid, præsertim quod arduum sit, agere, nisi in mādato eius comprehendatur. Sed ut manum armatam delegatus conducatur ad causæ expeditionem, non censetur comprehensum in mandato, si modo faciliore, magisque consueto uti possit, videl. inuocando auxilium potestatis ordinariæ, ecclesiasticæ in primis, deinde secularis. Sed in defectum, id est, si ordinarius seu magis consuetus iste succursus haberi non possit, tum non prohibetur ipsemet remedium adhibere, argum. c. præterea, 5. hoc tit.

QVÆRITVR tertio: Vtrum Episcopus, qui tēporali iurisdictione caret, Officiales armatos habere possit, paratos ad executione iustitiæ, si opus sit, aduersus contumaces. Negat Abb. hic n. 10. Sed alij cōmuniter affirmant post Bald. in l. nam salutem, §. fin. ff. de offic. præfecti Vigilum, uti videre est apud Barbatiam hic col. 7. Decium n. 6. D. Martham cit. c. 50. Quia licet Clericis armorum usus prohibitus sit, excipi tamen debet casus necessitatis, si aliter iura sua contra impediētes exercere aut defendere non possint, arg. c. dilecto 6. de sent. excom. in. 6.

Gggg CAPI-

CAPITVLVM VIII.

Si quando.

PARAPHRASIS.

Quidam Clerici Prælatos quarundam Ecclesiarum ad iudicium coram legato Papæ trahebant, ostendere conantes, dictas Ecclesias ob causam transactionis, vel simile ad ipsos de iure pertinere: Iudex delegatus causa cognita eisdem Clericis ad iudicauit Ecclesias. Verùm Ordinarius loci pro certo sciuit, dictos Clericos canonica institutione carere. Hoc casu dubitatur, an Ordinarius delegato violenter resistere non possit, quò minus sententiam exequatur, Clericos in possessionem mittendo. Respondet Alex. III. Quòd resistere non debeat; sed apud ipsum instare, vt executionem differat, donec Sedes Apostolica super ea re consulatur.

SUMMARIVM.

1. Iudici publica auctoritate vrenti inferior violenter resistere non potest.
2. Nisi iudicialiter notoriã iniuriam inferret; tunc enim per se loquendo, ei resisti potest, si grauamen per appellationem reparabile non sit.
3. Compositio, transactio, vel Iudicis sententia in causis beneficiis & matrimonialibus non tribuit ius, ita vt aliquis ad opponendum & contrarium probandum non admittatur.

NOTANDVM I. Iudici, quatenus publica auctoritate quippiam agit, aut decernit, inferior violenter resistere nõ potest. Qua in re plenè distinguunt Abb. hîc, n. 2. Decius n. 2. Primò, Si Iudex extra iudicialiter, seu vt priuata persona iniuriam alicui inferat, tum ei, sicuti alteri, violenter resisti potest. Quòd intellige, per se loquendo, nisi maius scandalum, aliudue malum oriturum sit. Ita docet Gl. in l. 3. ver. vt vim, ff. de iustit. & iure, Innocent. hîc, argum. 1. prohibitum C. de iure fisci, lib. 1. o. vbi habe-

tur, quòd etiam Principis Officialibus resisti possit, si aliquid agant, aut exigant, cuius commissionem, seu mandatum non habent.

Secundò: Si Iudex iudicialiter, seu vt publica persona iniuriam inferat, volens v. g. iniustam sententiam exequi; tunc vel notoria est iniustitia, vel non notoria, licet parti læsæ certò cognita sit. Priore casu resistere potest, non item secundo. Ratio discriminis est: Quia si iniustitia processus notoria sit, Iudex non tantum secundum veritatem, sed etiam secundum fori externi apparentiã potestatis suæ limites excedit. At verò in secundo casu non excedit secundum externam apparentiam: Ergo publica potestas sæpe contemni videretur, si palàm resistere liceret.

Tertio: Si Iudicis iniustitia, seu processus iniustus notorius non est, tum iterum distinguendum. Vel grauamen, quòd Iudex inferre vult, est reparabile per appellationem. Hoc casu appellatio ad Superiorem interponi debet. Sin autem Iudex appellationem nõ admittat, cum debeat admittere (si videl. nullo rationabili prætextu vt friuolam rejicere possit) iniuriam notoriam inferat, vt ei resisti possit. Sin autem grauamen, quòd Iudex actualiter inferat, non sit reparabile per appellationem; quia v. g. in causa criminali nõ cõsuetum est appellationem admitti: vt firmitè damnatus à Iudice ad mortem trahatur, non solum ipse se defendere, vt expressè docet S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. in corp. sed etiam alij opem ferre, secundum doctrinam Gl. in c. Non in inferenda. 7. causa 23. q. 3. Imò alios succurrere, & eripere posse, tamen si auxilium ipsorum non impleretur, tradit Bartolus in cit. l. prohibitum. Decius hîc n. 5. Felinus col. 2. & sumitur ex cap. 24. Prouerb. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Hæc tamen intelligi debent, per se loquendo, nisi maioris mali, aut scandali periculum timeatur, vt bene monet S. Th. cit. loc. Quare si Iudex secundum publica allegata condemnarit hominem re ipsa innocentem, neque ipse per violentiam resistere, neque alij opem ei ferre poterunt; cum ea res publica potestatis contemptum præ se ferat, & graui-

scandalo non careat, ut dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. p. 3. c. 2. q. 1. in fine.

NOTANDVM II. Quamuis Iudicis auctoritate transactio aliqua in lite beneficiaria facta sit, non tamen inde consequens est, beneficium ad eum pertinere, cui adjudicatum est, vel cui Aduersarius voluntarie cessit. Ita hic singulariter notat Barbatia col. 3. Quod compositio, transactio, vel Iudicis sententia in causis beneficiaribus (similiterque in matrimonialibus, de quibus Sanchez lib. 7. disp. 100. n. 13. & lib. 8. disp. 27. n. 39.) non conferat ius, ita ut aliquis ad opponendum ob contrarium probandum non admittatur. Ratio est: Quia beneficium Ecclesiasticum non potest absque canonica institutione obtineri, reg. 1. in 6. Quomocunque igitur partes inter se componant, aut Iudex vel arbiter pronuntiet, si non præcessit canonica institutio, non acquiritur titulus beneficii. Præterquam si quis triennio cum bona fide in colorata possessione fuerit, iuxta reg. Cancell. 33.

Exemplum habes: Caius contra Titium inualidè, uti putabatur, in beneficio institutum, imperauit mandatum Apostolicum, ut beneficium sibi conferatur. Iudex delegatus executus fuit, vel simpliciter conferendo impetranti, possessore remoto; vel per amicabilem compositionem grauando illū, ut ynuius vel alterius anni proventus pristino possessori relinquat, iuxta ea, quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. vlt. n. 58. His non obstantibus, si quis ostendere velit, impetrationē Caij subreptitiam fuisse, audietur, non obstante compositione, aut Iudicis sententia. Quandoquidem non per sententiam iudicalem, sed per canonicam, seu legitimam Superioris institutionem beneficii titulus acquiritur.

CAPITVLVM IX.

In literis.

PARAPHRASIS.

Postquam Iudex delegatus sententiam per se, vel per alium (veluti Ministrum suū) executus est, vel alteri exequendam man-

dauit, seu delegauit, eius potestas, & iurisdic-tio cessat; cum sit functus officio suo.

SUMMARIVM.

1. Iudicis potestas & iurisdic-tio finitur, postquam sententia executioni mandata est, nisi hanc alteri v. g. Ordinario commiserit, ita ut eum subdelegatum suum constituerit, & is executionem iam cepisset.
2. Si Iudex delegatus functus est suo officio, ita finita est eius iurisdic-tio, ut absque noua commissione assumi amplius non possit.
3. Iudex ordinarius à se latam sententiam, si ipso iure irrita non est, reuocare non potest: secus est, si ipso iure irrita sit.
4. Affertur causa disparitatis in hoc inter Iudicem ordinarium & delegatum.

NOTANDVM I. Potestas, & iurisdic-tio Iudicis delegati non finitur post latam sententiam; sed cum sententia executioni mandata est. Præterquam si executionem alteri, v. g. Ordinario loci committat, ita ut eum subdelegatum suum (non merum Ministrum suum) constituat. Tunc iurisdic-tionem à se amouisse censetur. Id verò intelligi debet, si subdelegatus negotium exequi cepit. Si autem nondum cepit, sed res integra sit, tum subdelegans executionem reassumere potest; quia iurisdic-tio non censetur efficaciter transisse in subdelegatum, si eam uti non cepit, e. quamuis. 6. eod. tit. in 6. Ita explicant hic Abb. n. 2. Barbatia col. 2. Imola n. 4. & 5. licet aliter sentiat Gloss. hic ver, præcepit.

NOTANDVM II. Si Iudex delegatus functus sit officio suo, finita est eius iurisdic-tio, ut assumi amplius non possit, absq; noua commissione. Quare docent hic Canonistæ plerique, cum Innocent. n. 2. Dynus in reg. 21. in 6. Abb. in c. 1. n. 28. de re iudic. & alij apud Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 27. n. 39. Quod Iudex delegatus, postquam sententiam tulit, siue bene siue malè, non possit eam reuocare, aut iterum iudicare: quia functus est officio sibi com-

Gggg 2 misso.

missio, argum. c. si compromissarius, 37. §. si verò eligat, de elect. in 6. & habetur expressius in l. si vt proponis, 4. C. Quomodo, & quando Iudex &c. vbi Legistæ aiunt; Si sententia à Iudice delegata nulliter lata sit, v. g. die festo, vel contra absentem non contumacem, finitam esse eius iurisdictionem, ideòque causam alterius Iudicis cognitioni committi posse.

Excipitur primò: Nisi delegati sententia ideo nulla sit, quia formam mandati non obseruauit. Tunc enim veluti non vsus iurisdictione sua censetur, vt Abb hìc notat n. 4. argum. l. quid tamen, 21. ff. de recept. arbitris.

Excipitur secundò: Nisi Iudex delegatus sit ad vniuersitatem causarum: quia is Ordinario æquiparari solet, secundum Gl. in c. cum causa, 62. ver. delegatus, de appellat. Zabar. Clem. 2. de rescript. q. 24. Felinus in rubr. de offic. delegati, n. 4. Nam exceptionem affert Barbatia hìc, Imola n. 7. contra Decium n. 5.

Excipite tertio: Quòd executor gratiæ, v. g. beneficalis, si ob iuris vel facti errorem prouisionem fecit, quæ irrita fuit, aliam validè facere possit, secundum Innoc. in c. 1. ibid. Abb n. 28. de re iudic. Cum enim gratia effectum consecuta non sit, ideòque permaneat, etiam executio eius permanere debet, arg. c. si super, 9. de offic. delegati in 6. Plures limitationes affert Decius, & Barbatia hìc.

Sed quid de Iudice ordinario, an sententiam à se malè latam reuocare, & denuò iudicare potest? Respondeo cum Innocent. hìc n. 1. Abb. n. 3. Dyno cit. loco, ac alijs. Vel sententia est ipso iure irrita, vel non est irrita ipso iure. Hoc casu eam reuocare non potest, quia nisi ab ea appellatum, ideòque iurisdictione ad Superiorem deuoluta sit, transit sententia in rem iudicatâ. Si tamen Iudex perperam iudicâdo partim damnum intulit, ad eius resartionem cogi potest, vt dixi in princip. c. 15. Sin autem ipso iure sententia irrita sit, videl. lata contra legem manifestam, potest eam reuocare, atque nouam sen-

tentiam pronuntiare, l. si præses, 6. C. Quomodo & quando. Quia, vt tradit Gl. commo- niter recepta in l. Iudex, 55. ff. de re iudic. quod nullum est, nullum effectum producit, argum. l. Si se, §. condemnatum, ff. de re iudic. & l. si expressim, 19. ff. de appellat. Potest tamen in hoc casu sententiæ nulliter latæ à Iudice inferiori, etiam Superior adiri, vt reuocata sententiæ, aliter iudicet, sicuti docet Bartolus in cit. l. si expressim, n. 34. vbi regulam affert n. 15. Sicuti appellatio deuoluit totam causam ad Superiorem, ita etiam nullitas sententiæ latæ deuoluere potest. Idque singulariter hic monet Abb. n. vlt. locum etiam habere in Archiepiscopo comparatione Cœpiscopi; si is sententiæ ipso iure irritam dixerit, tamen etsi ab ea appellatum non sit, posse nihilominus adiri per viam nullitatis: cum hæc æquiualeat appellationi. Quæ est probabilis doctrina, quam hic amplectitur Felinus n. 4. Sed displicet Decio n. vlt. argum. c. pastoralis, de appellat.

Querret aliquis causam disparitatis inter ordinarium & delegatum; Cur iste officio suo functus censetur, si sententiæ, quantum ipso iure nullam pronuntiauit, vel si alteri delegauit exequendam, ita vt eam reassumere non possit, si eam subdelegatus exequi cœpit, tamen si perficere nolit, aut non possit? Ordinarius verò non censetur his casibus officio functus, vt amplius se immiscere nequeat. Respondeo, causam esse, quam indicat Felinus ex Baldo in cit. l. si vt proponis. Quia Iudex ordinarius ampliorem, magis stabilem iurisdictionem habet, quam alteri delegando, aut semel sententiæ proferendo, saltem in habitu & radice retinet. Sed Iudex delegatus censetur habere potestatem valde angustam, & restrictam, ita vt si semel egit, quod mandatum est, omni potestate ad iurisdictione exutus sit. Quæ res multum etiam pendet ex iuris positui constitutione.

CAP.

Consultationibus.

PARAPHRASIS.

Titius afferens se à Caio Ecclesia Parochiali, alioue beneficio extra iudicium iniuste spoliatum, impetrauit à Papa rescriptum ad Iudices, quibus mandabatur, si eis constiterit, ita spoliatum fuisse, ei beneficium intra duorum mensium spatium restituant. Sed Caius studiorum, vel peregrinationis causa tunc aberat, vt intra dictum tempus Iudicibus se sistere non posset. Hoc casu tametsi Titius per testes idoneos ostendere paratus sit, se à possessione iniuste deiectum fuisse, restitui non debet: nisi Caius, qui tum possidet, per contumaciam se absentarit.

SVMMARIVM.

Contra reum absentem, non tamen per contumaciam, index non iudicat, licet possessionem probare volentem, etiam iudicio possessorio recuperanda.

NOTANDVM Vn. Contra reum absentem, nisi contumax sit in comparando, Iudex iudicare non debet, etiam iudicio possessorio recuperandæ. Exinde tamen per sensum contrarium inferre non licet; Quotiescunque reus in comparando contumax est, ad sententiam definitiuam, vel quasi definitiuam procedi posse, quamuis lis contestata non sit: sufficit ad exceptiuam nisi tuendam, si quibusdam casibus, etiam lite non contestata, ad receptionem testium, & sententiam definitiuam procedi possit aduersus contumacem. Videlicet si Caius, qui in parochiam se intrusisse dicitur, post habitam Apostolicam literarum notitiam, fraudulenter se absentauit, atque per edicta citatus non compareat, vt Ecclesie parochiali prouisum sit, tum testes etiam contra absentem recipi, & si causa actoris liquida sit, possessio ei restitui potest, vt ex hoc colligitur, ex c. quoniam, 5. §. porro, vt lite non contestata, &c.

Quæ verò hic Gl. ver. restitutionem, Imola n. 3. & seqq. & alij congerunt, ea pertinent ad cit. c. quoniam, §. In alijs.

CAPITVLVM XI.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Delegatus Sedis Apostolicæ vices ipsius Pontificis gerit in causa sibi delegata: quamobrem maior, ac superior illis censeferi debet, quorum causam terminandam suscepit; adeò, vt si Episcopus, vel alia quæuis persona, in causa illa rebellis, vel contumax fuerit, à Iudice delegato, secundum facti qualitatem, seu suspensionis, seu interdicti, illata sententia, compelli possit: ita videl. vt temperatè procedens, Episcopo ingressum Ecclesie, vel officium sacerdotale interdicat, vel terram eius iurisdictioni specialiter subiectam, interdicto subijciat.

SVMMARIVM.

- 1. Delegatus in iurisdictione sua vices delegantis gerit: unde pari ferme honore dignus est.
2. Pœna sunt temperanda secundum facti & personarum qualitatem.

NOTANDVM I. Eadem persona, quæ absolutè loquendo subiecta est alteri, secundum quid, seu in certa causa potest esse Superior. Exemplum est: Si controuersia, quam Clericus cum Episcopo Augustano habet, à Sede Apostolica delegata sit Ecclesie Cathedralis Decano. Ita Abb. hic notat n. 3. Decius n. 2.

NOTANDVM II. Delegatus in iurisdictione sua vices delegantis gerit: quare pari ferme honore dignus est, vt sumitur ex c. vlt. d. 93. & notat hic Abb. n. 2. Ex quo tamen non rectè inferes, delegato iurisdictionis tantum exercitium, seu usum competere: quin imò iurisdictionem habet, eamque diuersam, quippe inferiorem & subiectam



iurisdictioni delegantis, uti constat ex l. ult. ff. de iurisdictione eius, cui mandata est iurisdictione, & tradit Gl. in c. ait Prætor, 5. ver. non habent, ff. de sent. & re iudic. Quamobrem delegatus, sicut & legatus, honorandus quidem est tanquam repræsentans delegantem, cuius deriuata auctoritate ac potestate fungitur; nõ tamen æquè honorandus, ut principalis, sicuti Barbatia hinc scribit col. 2. Decius col. 1. Tametsi enim potestatem aliquam delegans delegato impartiuit, tamen amplior sibi reseruauit.

NOTANDVM III. Pœnæ temperandæ secundum facti, & personarum qualitatem; Ita ut Episcopo, quamuis contumaci, propter statum, ac dignitatis excellentiam, non facile pœna excommunicationis intelligenda sit. Quæ de re in c. 2. eod. tit. in 6.

Quod denique in hoc c. dicitur, quod delegatus ob contumaciã vel rebellionem Episcopi, si causa grauitas exigere videatur, terram, quæ ad iurisdictionem eius pertinet interdicto subijcere possit, id Abbas hinc n. 6. Barbatia col. 5. secuti Vincentium explicant locum habere, si terra temporalis iurisdictioni subiecta sit, non item si spirituali. Alij communiter tenent contrarium, Felinus n. 2. Decius n. 5. Couar. in c. alma, p. 2. §. 1. n. 4. Suarez de censur. disp. 3. 6. sect. 3. n. 7. post Archidiaconum in c. si sententia, 1. 6. de sent. excommun. in 6. Sed mihi non displicet sententia Abbatis. Eam enim indicant ver. c. Quod delegatus terram ad Episcopi iurisdictionem specialiter pertinentem interdicto subijcere possit. Quasi diceretur, si terra alium dominum non habeat, sed Episcopi propria sit, tum interdicti posse, propter Episcopi grauem contumaciam, arg. cit. c. si sententia, & c. 1. de postul. Prælator. Neque licet ita inferre in materia pœnali. Propter delictum Rectoris seu Domini temporalis interdictum terræ eius imponi potest: Ergo etiam propter delictum Rectoris spiritualis, seu Episcopi. Cum illud iure expressum sit, hoc non sit: quare standum est regula communi, ut nemo propter alterius culpam puniatur.

CAPITVLVM XII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Nicolaus ab Alexandro III. Pontifice literas impetrauit ad Episcopum Conuentrensem; ut Archidiaconatum primò in Ecclesia eius vacaturum conferret. Sed Rabanus, æmulus eius, alias ab eodem Alexandro literas ad Archiepiscopum Eboracensem, nulla priorum literarum facta mentione, attulit, quibus mandabatur, si Melchior Auunculus eius Archidiaconatum dimittere vellet, ut ipsi Rabano conferretur. Dubitabatur, utri duorum impetrantium Archidiaconatus, cui Melchior absolute cesserat, conferri deberet; respondit Pontifex, quod priori: quia si memor fuisset priorum literarum, postorius mandatum non dedisset.

SUMMARIVM.

1. Pontifex non presumitur rescriptis suis derogare iuri alteri prius concesso.
2. Oblinisci is potest rescriptorum suorum, ita ut posterius emanet sine recedatque prioris.
3. Si dispositio generalis in certa specie verificari debet, dispositio posterior specialis ei non derogat.

NOTANDVM I. Pontifex non presumitur rescriptis suis derogare iuri alteri prius concesso, uti etiam colligitur ex c. quamuis, 1. 8. de rescript. in 6. & l. 2. §. merito, & §. Si quis à Principe, ff. Ne quis in loco publico, & notat hinc Barbatia col. 1. Imolan. 1. & dixi lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 27. in sublimitat.

NOTANDVM II. Transuersalis v. g. nepos auunculo, vel patruo suo immediate succedere potest in beneficio: quia Pontifex dispensationis nullam mentionem facit; Ergo signum est, id iure communi concessum esse, uti aperte etiam colligitur ex c. 2. de arbitris,

bitris, & notat Imola hinc n. 1. Ratio reddi debet, quia inter collaterales minor est successione necessitudo, quam sit filij, aut nepotis erga ascendentem, iuxta ea quæ dicta sunt c. ad extirpandas 11. de filijs Presbyter.

2. NOTANDUM III. Pontifex obliuisci potest rescriptorum suorum, ita vt posterius emanet, sine recordatione prioris, idque propter multitudinem & varietatem agendorum, ait Barbatia hinc col. 2. Licet alioquin in facto proprio non præsumatur obliuio, nisi tempus diuturnum intercefferit.

Contra resp. Alexandri obijcitur: Rescriptum speciale derogat generali, tametsi de eorum mentionem non faciat, c. 1. de rescriptis. Atqui Nicolaus impetrauerat rescriptum generale de conferendo Archidiaconatu, qui primò in Ecclesia vacaturus esset. Rabanus verò rescriptum speciale, vt ad auunculi Archidiaconatum promoueretur, si vacaret: Ergo huius rescriptum derogare debebat priori. Resp. Maiorem esse veram, si speciale rescriptum non sit propriè oppositum generali, sed cum eo consistere possit, vt explicauimus in cit. c. 1. In proposito autem casu rescriptum posterius propriè ac directè oppositum est priori, saltem secundum determinationem euentus, vt Gl. hinc notauit, verum non obstantibus, & Abb. num. 6. Nam Nicolaus mandatum erat conferri Archidiaconatum primò vacaturum: Primò autem vacabat Archidiaconatus Melchioris, per liberationem eius renuntiationem: Ergo Pontifex directè repugnat, dum eundem Archidiaconatum alteri, videlicet Rabano, conferri iubet. Eodè modo recidet, si dicas, prius rescriptum in effectu non esse generale, sed speciale. Quamobrem regulam tradit Abb. ex doctrina Bartoli in l. si domino 99. n. 1. ff. de legatis 1. Si dispositio generalis in certa specie verificari debet, dispositio posterior specialis ei non derogat: quandoquidem etiam prior secundum euentum specialis est. Exemplum: Si Papa Titio mandet conferri beneficium primò vacaturum in diocesi, postea mandet Caio conferri primò vacaturum in ciuitate diocesis, si accidat pri-

mitus vacare beneficium in ciuitate, debetur Titio, non Caio; nisi appareat, quòd Pontifex voluerit derogare iuri Titij.

CAPITVLVM XIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Si Iudici delegato à Papa certa procedendi, vel iudicandi forma præscripta sit, eo non obstante, exceptiones rationabiles admittere, & secundum iuris æquitatem procedere debet: Nisi in literis exprimat, vt nullæ exceptiones admittantur; quòd tamen Pontifex apponere non solet.

SUMMARIUM.

1. Si Iudici delegato certa forma procedendi præscripta sit, non debet eam obseruare cum magno præiudicio partis.
2. Nihilominus debet procedere, ac iudicare secundum æquitatem iure informatam, seu ita, vt legibus non reſugnet.
3. Si casus lege definitus non est, Iudicis quod æquum ipsi videtur, arbitrari permissum est.
4. Vbi de contraria voluntate Principis non constat, iudex inferior rationabiles exceptiones admittere debet.

NOTANDUM I. Si Iudici delegato certa forma procedendi præscripta sit, non debet eam obseruare cum magno præiudicio partis: quare exceptiones rationabiles admittere debet. Vt si Iudici tempus præfixum sit, intra quod causam definire debeat, Reus autem dilationem petat, quia propter grauem infirmitatem instruere causam non possit. Ratio est: Quia Pontifex non censetur præiudicare velle iuri partium, præsertim naturalis defensionis, c. super eo, 15. hoc tit. adeò quidem, vt quomodocunque, etiam impropiè, verba explicanda sint potius, quam vt alterius iuri derogetur, sicuti hinc Decius docet num. 4. exemplum afferens: Si Papa mandet Titio conferri beneficium, non obstante

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Alexander III. causam quandam delegauit Abbati Leicestriae, & Abbati Vniceltrae: mortuo isto, Abbas ille partes citauit, & cum interim in locum demortui alius substitueretur, mandatum Apostolicum successori illi porrexit, & cum eo causam definiuit. Querebatur, an id recte factum fuerit, & sententia à duobus lata rata esse deberet. Affirmat Alexander Papa, Eo quodd delegatio Abbatibus sub nomine non propriarum personarum, sed dignitatum ac locorum facta sit.

SUMMARIUM.

1. Delegatio facta dignitati, non expresso nomine proprio, transit ad successorem in dignitate, non autem administratorem, qui pro tempore ecclesie vacantis constituitur.
2. Si causa alicui commissa est expresso proprio nomine, tum dignitati, v. g. Henrico Episcopo Augustano committimus, in dubio censenda est personalis commissio, nisi ex alijs conuenientis voluntas delegantis cognoscatur.
3. Si commissio facta est intuitu Archidiaconi, v. g. dignitatis, ea amissa, non potest is causam cognoscere.
4. Potest autem eam cognoscere, si commissio facta est intuitu personae, modo non ob crimen depositus sit.
5. Mandatum Principis censetur executum & efficax, et si delegato nondum innotuerit, priuilegium est contra & beneficium motu proprio concessum non censetur ratum ante acceptationem.
6. Commissio legato Sedis Apostolicae facta sub nomine dignitatis, non transit ad successorem, transit autem illa, qua facta est Vicario Episcopi.

NOTAN-

stante collatione prius alteri facta, explicandum esse de collatione inualida.

2 NOTANDVM II. Etsi certa forma Iudici delegato praescripta sit, nihilominus debet procedere ac iudicare secundum iuris aequitatem. Quia Pontifex in rescriptis ad lites, quae proprie ad iustitiam administrandam tendunt, non censetur derogare iuri communi, vti etiam constat ex c. causam quae, 18. de rescriptis.

NOTANDVM III. Iudex procedere debet secundum aequitatem, quae iure informata est, seu ita, vt legibus non repugnet. Non enim Iudex clementior lege esse debet, sed eius verbis standum, Authent. de Iudicibus, §. oportet, iun. Gl. Si tamen casus lege definitus non sit, tum Iudici, quod aequum ipsi videtur, arbitrari permissum est, c. vt. de transact. in fine, iun. Gl. ver. aequitate.

3 NOTANDVM IV. Si Princeps scribat, in causa procedendum esse, nulla admittenda exceptione, intelligi debet de exceptione irrationabili, aut quae solum ad prorogandum iudicium apposita videtur, de quo hic videri potest Barbat. col. 2. Si autem expressè additum, nulla quamuis rationabili exceptione admittenda, tum standum est formam mandati, quando nullus dubitandi locus relinquitur: quia Princeps ex plenitudine potestatis iuri communi, aut partis derogare censetur. Quod in ciuilibus causis ob grauem causam facere potest, praesertim si aliud defensionis remedium parti litiganti supersit, praeter id quod ei adimitur. Ita docet Barbatia hic col. 6.

4 Exemplum habes: Si Papa causam Iudici committat, eo addito, vt recusari non possit, explicari debet de friuola & irrationabili recusatione: Sin verò addat, vt recusari non possit quantumuis rationabiliter, id seruari debet: cum aliud remedium parti non desit, videlicet appellandi aut Iudicis officium implorandi.

* * *

NOTANDVM I. Si duobus Iudicibus causa delegata sit, adiecta clausula, *Si non omnes*, atque eorum vno impedito, vel mortuo alter solus procedere cœperit, cessante impedimento recuperat is, qui impeditus erat, aut successor eius iurisdictionem sibi commissam: quippe quam nunquam omnino amisisse censetur, quamvis suspensam habuerit. Ita notat hic Gl. ver. præfixit, & sumitur ex l. cum alijs, C. de curatore furiosi, vbi curator datus furioso dilucida interualla habenti, nõ desinit esse curator, dum homo ille rationis vsu pollet, licet eo temporis interuallo suspensa sit tutoris administratio, cum ipsemet, cui curator datus est, omnia per se agere possit. Videri potest Decius hic n. 3. in Gl. 1.

NOTANDVM II. Si delegatio, seu commissio alicui fiat sub nomine dignitatis, v. g. Episcopo Augustano, tum eo mortuo, vel renuntiante, ad successorem in eadem dignitate transit: Sin autem facta sit sub nomine proprio, Titio hanc causam committimus, ad successorem non transit. Simile quiddam docet DD. de beneficijs, ac priuilegijs Principum, quod alia sint realia, videl. quæ intuitu loci, aut dignitatis data sunt, ac proinde ad successorem transeunt: alia verò personalia, quæ personæ intuitu concessa sunt, de quibus dicitur in reg. 68. *In omnibus causis id obseruatur, vt vbi persona conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* Qua de re dixi lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 4.

Hæc doctrina declaranda est: Primò, Quod commissio vel priuilegium datum nomine dignitatis, transeat ad successorem in dignitate, tanquam qui equali iure fungitur; non autem transeat ad administratorem, qui pro tempore Ecclesiæ vacantis constituitur. Quamobrem ex communi docet Abb. in c. verbum n. 9. de foro compet. Decius hic n. 3. Quod nec ad Capitulum vacante Sede deuoluuntur ea, quæ Episcopo ratione dignitatis suæ speciali iure data, aut commissa sunt. Veruntamen, si quæ speciali iure delegata sint Episcopis, in ordinariam eorum iurisdictionem transeant, v. g. dispensandi atque absolvendi potestas in casibus Papalibus occultis,

de quibus Trident. sess. 24. c. 6. de reform. ea ad Capitulum vacante sede transit, vt colligitur ex doctrina Felin. in c. eam te, 7. n. 17. de rescript. & tradunt Rodriq. tom. 1. regul. q. 61. a. 9. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 61. n. 10. contra Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 41. sect. 2. n. 13.

Secundò: Quod commissio facta intuitu dignitatis transeat ad successorem, tametsi res integra sit, seu causa nondum cœpta. Ita Abb. hic n. 3. Decius n. 3. & alij fermè communiter apud Sanchez lib. 8. disp. 27. n. 7. Quia siue res integra sit, siue cœpta, militat eadem ratio, quod dignitas, & quæ ratione dignitatis competunt, ob mutationem personæ non mutantur, c. si gratiose, 5. de rescript. in 6.

Tertiò: Vt cognoscamus, num dispositio, vel delegatio facta sit intuitu loci, ac dignitatis, an verò intuitu huius personæ, non ad sola verba attendere debemus, sed potiùs ad præsumptam voluntatem committentis vel disponentis, quatenus ea tum ex materia subiecta, tum ex adiunctis colligi potest. Quia præsumptionem vnam (quæ videl. ex verbis desumitur) alia maior & vrgentior superat, iuxta Gl. fin. in c. transmissæ. Qui filij sint legitimi. Et ita singulariter hic notant Imola n. 23. Abb. n. 8. quam hic sequitur Felinus n. 3. Beroius n. 83. communem esse ait Decius concl. 1.

Exempli causa: Si Papa expresso nomine dignitatis, Abbati alicui deleget causam aliquam adiiciens rationem, quæ ad ipsum propriè spectat, vt quia in hoc genere obdiurnam experientiam, ac doctrinam versatus esset: tum censerit potest personæ industria singulariter electa, arg. c. mandata, 6. de præsumpt. Addunt aliqui apud Sanchez cit. disp. 27. n. 15. Si delegatus sit amicitia vel sanguine coniunctus deleganti, quod delegatio censeatur facta ex singulari affectione erga personam, vt ad successorem non transeat, arg. c. requisiti, 15. de testamentis, vbi habetur: Si Episcopo aliquid per vltimam voluntatem legatum sit, id factum præsumi non Ecclesiæ, sed personæ intuitu: contrarium verò præsumendum, si ab extraneo legatum

H h h h

gatum

gatum sit. Verum rectè monet Sanchez cit. loco, discrimen apertum esse inter hos casus: quia in causarum delegationibus plerumque non attenditur ad sanguinis, vel amicitiae coniunctionem, sed ad auctoritatem, & peritiam, quæ plerumque etiam in successoribus reperitur. Legata autem specialiter fieri solent propinquitatis ratione. Simile quid docet Gl. in c. 2. §. sanè, ver. expresserit, de testam. in 6. Si testator hæreditatis executorè dixerit, vel scripserit Abbatem sancti Proculi, qui propinquus eius erat, affectione personæ id factum videri, vt ad successorem non transeat. Sed hæc præsumptio minus certa videtur; cum testamenti executores sæpenumero deputantur propter auctoritatem ac fidelitatem, quæ etiam in successoribus inesse solet.

Contrà verò ex materia subiecta cognosci quandoque potest, tamen si in rescripto expressum fuerit nomen personæ, tamen eà mortuà ad successorem, vel hæredem eius transire: Ita v. g. successor alicuius Prælati, vel hæres alicuius Comitis conueniri potest ex rescripto Principis, quod de pecuniario soluendo debito sub proprio nomine ad antecessorem datum fuit, vt dixi in c. significauit, 36. de rescript. & c. dilecti, 17. de foro comp.

2 QVÆRITVR autem I. Si causa alicui commissa sit, expresso tum proprio nomine, tum dignitatis, v. g. Henrico Episcopo Augusto committimus, num in dubio existimandum sit, commissionem factam esse personæ, an dignitati. Communiter fermè respondent, Bartol. l. more, in fine, ff. de iurisdic. Ancharanus c. si gratiosè, post mediam, de rescript. in 6. Si nomen proprium præponatur, censei personæ intuitu commissum; saltem si ea nota sit, vt distinguit Abb. hic num. 8. & alij apud Imolam, hic n. 23. Mihi verò magis placet, vt dicamus cum Imola, n. 25. si ex alijs coniecturis voluntas delegantis non cognoscatur, censendam esse personalem commissionem. Quandoquidem vniuersim verum est, quòd species determinet genus, siue ea antecedat, siue sequatur. Accedit, quòd appositio no-

minis proprii inutilis esset, & nullum effectum haberet, nisi commissionem faceret personalem. Verba autem rescripti aliquid operari debent, ait Sanchez cit. disp. 27. n. 20. Et videtur hæc doctrina colligi ex c. si is cui, 10. eod. tit. in 6.

QVÆRITVR II. Si commissio facta sit Archidiacono huius Ecclesiæ, is autem dignitatem amittat per resignationem aut promotionem, vtrum nihilominus cognoscere eam possit? Resp. & dico I. Si commissio facta esse videatur intuitu dignitatis, ea amissa non potest causam cognoscere. Ita Innoc. hic n. 1. Ioan. Andr. n. 4. & esse communem ait hic Abb. n. 8. in fine, contra Ioan. Monachum, in c. statutum, n. 8. de rescript. in 6. vbi contrarium docet, si dignitas per promotionem amittatur. Ratio est clara. Nam talis commissio adhæret dignitati; ergo deposita dignitate amittitur, & ad successorem pertinet. Debet autem ampliari assertio, vt locum etiam habeat, tamen si causa cæpta sit, vt signatè monent Innoc. & Ioan. Andr. ll. cc. Sanchez cit. disp. 27. n. 24. & 28.

Dico II. Si commissio facta sit personæ, seu personæ intuitu facta, deposita dignitate, vel officio, (dummodò non ob crimen depositus sit, l. 2. ff. de fenatoribus) eam exequi potest delegatus, tamen si causa nondum cæpta fuerit. Ita Gl. in c. statutum, 11. ver. canonicis, de rescript. in 6. ibidem Monachus n. 7. Ioan. Andr. n. 20. Cardinal. Zabarella Clem. 2. de rescript. q. 6. Decius hic col. 6. Ancharan. in c. si gratiosè, prope finem, eod. tit. in 6. Tabiena ver. delegare, q. 12. n. 13. Flamin. de resignat. benefic. lib. 1. q. 11. n. 6. Ratio est: Quia sicuti priuilegium, ita & rescriptum personale personæ adhæret, & cum ea perpetuatur, dummodò statum contrarium seu impossibilem non assumat. Atque Gl. illa communiter recepta, si tempore commissionis, seu datæ literarum delegatus capax fuerit, videl. in dignitate constitutus, tamen si tempore præsentationis resignarit, quòd eam exequi possit. Sed vice versa, si tempore præsentationis dignitatem obtineat, vel Ecclesiæ cathedralis canonicus existat, non item tempore commissionis, quòd

com.

commissionem personæ, non dignitatis intuitu exequi non possit: quare in talibus initium spectandum est, arg. c. si eo tempore, 9. de rescript. in 6.

5. Corollarium. Ex hac communi doctrina sequitur, quod mandatum Principis censetur expeditum, & efficax, tametsi delegato nondum innotuerit: In quo differt à priuilegio aut beneficio, quod motu proprio concessum est, & ante acceptationem ratum non censetur, ut dixi lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 9. Ratio discriminis est: Quia priuilegium aut beneficium, cum species quædam donationis sit, non debet dari inuito, sed consentienti: At verò Principis mandatum etiam nolentes obligat ad acceptandum, iuxta c. pastoralis, 11. de offic. Ordinarij, ut bene docet Felin. c. prudentiam, 21. §. adijcimus, hoc tit. Quare ita argumentari licet: *Factum legitime retrahari non debet, tametsi casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari*, reg. 73. in 6. At verò Principis commissio constitit, ac rata fuit, tempore expeditionis literarum. Ergo tametsi commissarius postea ad statum deueniat, in quo ipsi commissio secundum iura fieri non potest, si videl. dignitati, aut canonicatui Ecclesiæ Cathedralis renuntiauit, nihilominus commissionem exequi poterit. Quandoquidem dicta personæ conditio seu qualitas tempore commissionis faciendæ requiritur, non tempore executionis, c. statutum, 11. de rescript. in 6. Cæterum si Canonicus delegatus à Sede Apostolica statum impossibilem, seu contrarium Ecclesiasticis negotijs assumat, ut si uxorem ducat, tum commissionem exequi haud poterit, sicuti cit. locis docent Zabarella, Decius, Tabiena, Francus in cit. c. statutum n. 8. & alij. Sed quid si Religionem ingressus sit? Resp. Exequi eum posse; Nisi talis Religio sit, cuius instituto eiusmodi causarum expeditiones specialiter repugnent, iuxta ea quæ dixi in eod. c. statutum.

6. QVÆRITVR III. Si commissio legato Sedis Apostolicæ facta sit sub nomine dignitatis, utrum ad successorem eius transeat. Resp. negativè cum Abb. hic n. 11. Augustin. Berno n. 102. & seqq. Felinon. 8. Quia Lega-

tus pro arbitrio Papæ creatur, ac reuocatur, ideòque eius dignitas propriè non vacat, nec successorem habet. Sed alia ratio esse videtur de Vicario Episcopi: Cum enim ordinarium ac veluti debitum sit, ut Episcopus Vicarium seu Officialem habeat: quamobrem Papa committendo causam Officiali, videtur ad officium eius, non ad personam respexisse, uti dixi c. 1. de offic. Vicarij, in 6.

CAPITVLVM XV.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Orta controuersia inter Titium & Caium de iure præsentandi Presbyterum ad Ecclesiam Parochialem, Papa commisit causam alicui Abbati, hac forma: ut si constiterit ipsi, ius præsentandi ad partem alterutram pertinere, ad præsentationem eius de persona idonea factam, Ecclesiam illam, appellatione remota, ordinet, seu prouisionem faciat. Dubitabatur hoc casu, utrum delegatus Episcopo infcio, aut Archidiacono, vel Archiepiscopo reclamante prouisum in possessionem mittere possit: Et si Episcopus, vel Archidiacono, ad quem de iure institutio pertinet, contra delegatum instituere volentem appellet, utrum appellationi deferendum sit. Respondet Alexander III. Non esse Pontificis intentionem dictam commissionis formulam præiudicium generare Episcopo, Archidiacono, vel Archipresbytero: quamobrem si ad ipsorum aliquem institutio pertinet, præsentationem ipsi faciendam esse: Atque appellationem eorundem admittendam esse, si iuri suo præiudicium generari prætendant: cum appellatio non eorum, sed partium contententium respectu in rescripto Apostolico inhibita fuerit.

S V M M A R I V M.

1. Rescriptum Principis non ita intelligi debet, ut alteri præiudicium inferatur, nisi id exprimat.

H h h 2

2. Exc.

2. *Executio lata sententia à delegato iudice differri debet propter appellationem eius, cuius interest, ne executioni mandetur, nisi appareat, quòd malitiosè, aut solùm differenda executionis causa interponatur.*

NOTANDVM I. Rescriptum Principis non ita intelligi debet, vt alteri præiudicium inferatur, nisi id exprimatur. Ita etiam habetur in l. 2. §. si quis à Principe, ff. Ne quis in loco publico, & videri hic potest Abb. n. 2. Decius col. 1. Vbi id ampliat, tametsi Princeps motu proprio, seu ex certa scientia rescribat: Item, tametsi tantùm agatur de iure ad rem, & nondum plenè acquisito.

Necesse tamen est, vt verba rescripti aliquam, quamvis impropriad significationem retineant. Vt in casu huius c. verba illa *Ecclesiam ordines*, ita explicari debent, cura, vt Ecclesia ordinetur, videl. per eum, qui ius habet. Quòd si autem rescriptum, alium, quamvis improprium intellectum habere non possit, nisi vt aliquid agatur cum præiudicio alterius; tunc seruanda sunt verba rescripti, atque existimandum Principem ex plenitudine potestatis derogare voluisse iuri tertij, præsertim si motu proprio, seu ex certa scientia promanauit. Sic enim ex recepta doctrina tradit Decius in c. quoniam, col. 5. limit. 2. hoc tit. Licet Princeps in dubio non censeatur vt plenitudine potestatis, secus tamen esse, si aliàs dispositio eius aut rescriptum inutile redderetur.

Sed quid si institutio eius beneficij ad Pontificem tum pertinisset, v. g. per deuotionem, potuissetne delegatus præsentatum instituere vigore eorum verborum, *ordines Ecclesiam*. Responso est affirmatiua apud Abb. h. c. n. 5. Quia licet rescriptum Principis, quatenus partibus, vel alijs personis præiudicare potest, strictè interpretationis esse debeat, tamen ampliam potius interpretationem meretur eum respectu ad ipsum committentem, vt etiam supra dictum in c. 1. de officio Vicarij, in 6. Imò etiam ex textu colligitur, quòd delegatus instituere potuisset, vel in possessionem mittere, si is, ad quem de iure pertinebat, consensum dedisset,

faltem tacitum, vt quia sciens id agi non prohibuisset, vt idem Abb. notauit.

NOTANDVM II. Executio sententia lata à delegato Iudice differri debet, propter appellationem eius, cuius interest, ne executioni mandetur. Nisi appareat, quòd malitiosè, aut tantummodo differendæ executionis causa interponatur, vt Glos. hic aduertit ver. tenebit. Quamuis hæc qualitate præsumptio tolli possit, si opponens seu appellans incontinenti probationes offerat, iuxta Gl. in c. fuscitata, 6. ver. sententia, de in integr. restitut.

CAPITVLVM XVI.

Causam.

PARAPHRASIS.

Causam diuortij inter duos coniuges Pontifex duobus Episcopis commiserat: iudicarunt mulierem viro restituendam esse. Quod cum factum esset, vir mulierem adeò flagellauit, vt in confessionem eruperit, inter ipsos consanguinitatis impedimentum intercedere. Hoc intellecto, alter eorum Episcoporum iudicauit, illos separandos esse. Sed Alexander III. postea declarat, sententiam vnus Iudicis delegati, abque socio pronuntiatam irritam fuisse, ideòque viro mandandum, vt vxorem suam recipiat, & maritali affectu tractet. Postea verò, si quis matrimonium accusare, seu impedimentum eius ostendere voluerit, ab eisdem Iudicibus audiendum esse.

SUMMARIVM.

1. *Confessio graui metu extorta, non valet.*
2. *Si plures Iudices delegati sint, non habent iurisdictionem in solidum, vnde vnus sine altero procedere non potest, nisi in forma commissionis aliter expressum sit: secus est in iudicibus ordinarijs, v. g. duobus consulibus ciuitatis.*
3. *Si Iudex contra formam mandati iudicauit, sententia irrita est.*
4. *Si in sententia ferenda eandem mandati formam non seruauit, non censetur esse functus.*

functus suo officio; unde iterum iudicare potest.

NOTANDVM I. Confessio metu extorta non valet. Sed debet esse metus grauis, spectata conditione personæ metuentis. Minor enim requiritur in muliere, quàm in viro, ad hoc vt iustus, seu grauis censeatur, secundùm Gl. in c. cum locum, 14. ver. metus, de sponfal. & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 2. c. 6. n. 5. Vide quæ hæc scribit Barbatia, statim à principio.

NOTANDVM II. Si plures Iudices delegati sint, non habent iurisdictionem in solidum: Quare vnus sine altero procedere non potest, nisi in forma commissionis aliter expressum sit, vti dicam in c. cum plures, 8. eod. tit. in 6. Qua de re infra dicetur in c. prudentiam, 21. hoc tit. Secus est in iudicibus ordinarijs, si plures iurisdictionem actualem habeant, v. g. duo consules in ciuitate: poterunt enim & simul, & seorsim iudicare, vt colligitur ex l. vn. ff. de officio consulis, vbi Bartol. n. 1. & 2. & Gl. in c. vt officium, 11. de hæret. in 6. Gl. in c. prudentiam, 21. ver. teneatur, ibid. Abb. de off. deleg. Idemque communiter docent de Iudicibus delegatis ad vniuersitatem causarum, v. g. duobus visitatoribus diœcesis, quod habeant iurisdictionem in solidum. Quia eorum iurisdictione ordinariæ æquiparatur. Quæ est communis sententia apud Decium hæc, col. 4. Barbat. col. penult. arg. l. 1. §. si plures, ff. de exerc. act. Quamuis repugnet Abb. hic n. 7. arg. cit. c. vt officium: quasi ibi specialiter constitutum fuerit, vt hæreticæ prauitatis inquisitores (qui ad vniuersalem causarum in hæresis materia delegati sunt) & separatim cognoscere possint. Verùm ex textu non satis colligitur, id specialiter constitutum fuisse: cum plura eo c. demandata sint, & hoc ipsum, de quo loquimur, à Pontifice specialiter declarari potuerit, ne dubitationi locus esse possit.

NOTANDVM III. Si Iudex delegatus contra formam mandati iudicauit, irrita est sententia: Quare si eam executioni mandauit, deiciendo aliquem de possessione, ante

omnia restituendus est spoliatus. Ita etiam habetur in c. cum causa, 22. hoc tit. Et in c. conquirente, 17. de restit. spoliatorum, ex quo habetur, quod etiam is, qui à iudice, ordinario aut delegato, ordine non seruato spoliatus est, ante omnia restituendus sit.

NOTANDVM IV. Si Iudex delegatus in sententia ferenda formam mandati non seruauit, non censetur esse officio suo functus: quare iterum iudicare potest. Ita colligitur ex hoc textu, & dixi etiam supra cit. c. in literis, 9. not. 1. hoc tit.

CAPITVLVM XVII.

Causam.

PARAPHRASIS.

Controuersiam quandam, quæ erat inter Franciscum & Romanum, Alexander III. tribus Episcopis delegauit. Sed quia Franciscus vnum horum Episcoporum, tâquam suspectum sibi recusauit, eò quod dominus esset dicti Romani, ideo Pontifex loco illius subrogauit Herfordensem.

SUMMARIVM.

1. Iudex vt suspectus recusari potest, si suspicio seu causa recusandi probabilis afferatur.
2. Et potest recusari etiam vnus ex collegio iudicum, si consideratis circumstantijs probabile sit periculum peruersionis, aut iniustitia.
3. Iurisdictionem voluntariam dispensationis, legitimationis &c. potest exerceri erga familiares domesticos, consanguineos, filios etiam proprios.

NOTANDVM I. Iudex vt suspectus recusari potest, si suspicio, seu causa recusandi probabilis afferatur, c. suspensiones, 39. hoc tit. & c. licet, 10. de foro comper. Vel si ea iure expressa sit, vt hic: Videl. Si Iudex sit dominus aduersarij, quocum contendere debes, vt etiam colligitur ex l. qui iurisdictioni, 10. ff. de iurisdic. omnium iudic. Quia censetur illum peculiariter diligere; aut

re, aut defendere velle. Nomine autem domini intelligitur quicunq; Superior, etiam paterfam. comparatione domesticorum suorum, uti hic notant Abb. n. 2. & constat ex c. insinuante, 25. hoc tit. Decius col. 1. Barbat. col. 1. Sed limitationes aliquę afferuntur, ut videre licet apud Felinum hic n. 3. Prima; Si Iudex sit dominus partis vtriusque, uti colligitur ex c. ex transmissa, 6. de foro comp. quia par affectionis causa suspicionem affectionis tollit, ait Gl. in c. 1. ver. parentes, causa 3. q. 5. Secunda. Si contra iudicem, qui recusari possit, nihil excipiat. Quam esse communiorem doctrinam, testatur Decius hic n. 2. Idque similiter locum habet in testibus consanguineis, aut familiaribus accusatoris, & si reus nihil contra eos excipiat, eorum testimonium valere debeat, secundum Gl. in cit. c. 1. Multo magis si quis domesticum conueniat coram domino, aut patre suo, is ius dicere poterit, teste Gl. in l. qui iurisdictioni, 10. ff. de iurisdic. Tertia. Si Iudex desijt esse dominus partis contendentis: quia cessat causa suspicionis. Quarta. Si tanta sit, & tam perfecta viri iustitia, ut omnem affectionis suspicionem tollere videatur, ut si sit Monachus Cisterciensis, ait Speculator super hoc tit. §. Superest, n. 7. & Commentator eius ibid. ver. lit. 1. Sed de hac limitat. non immerito dubitat Decius in fine c. Quia cum hæc causa recusationis iure expressa sit, præsumptio est pro recusante, quę difficulter infringi poterit per præsumptionem oppositam: cum nemo ferme hominum ad eod. constantis virtutis sit, ut eius iudicium nulla singulari affectione aut amore inclinari possit: nam amor etiam prudentum iudicia peruertit. Videri etiam potest Specul. tit. de iudice delegato, §. Superest.

QVÆRITVR: Si vnus ex Collegio iudicum parti contendenti sit suspectus, ut quia ipse inimicus est, an recusari possit. Et similis quæstio est de Candidato, an contra vnum ex Collegio Examinatorum ut suspectum sibi excipere possit. Ita affirmat Abb. hic n. 2. quem sequitur ibi Gl. marginalis,

& Felinus n. 1. Sed contrarium tenet hic Barbatia col. 1. Quia tamen vnus è Collegio ex sinistro affectu iudicaturus sit, præualebunt tamē aliorum plurium suffragia. Sed contra est primò: Quia etiam in casu huius c. tres erant Iudices delegati, & vnus, qui suspectus esse poterat, remouebatur. Deinde, si tres, aut quatuor testes adducantur, etiam vnus à principio, tanquam suspectus (ut quia inimicus v. g. est) recusari poterit, tamen ex vnus testimonio sententia contra reum ferenda non sit, uti bene Felinus hic admonet. Negari enim non potest, quin malignus affectus etiã vnus ex Iudicibus, Examinatoribus, aut testibus homini periculum generare possit; cum facile sit ab vno etiam alios peruertere,

Arbitror itaque, veram esse Abbatis doctrinam, ita tamen, ut vnuerfum locum non habeat. Quia consideratis circumstantijs, apparet quandoque, nullum esse periculum peruersionis, aut iniustitię, tamen vnus v. g. ex vnuerfitate Iudicum sit dominus aut consanguineus aduersarij, quocum litigas; vel vnus Examinatorum sit consanguineus, aut dominus eius, quocum pro cathedra contendis. Porro iurisdictionem voluntariam v. g. dispensationis, legitimationis &c. nihil obstat, quò minus aliquis erga familiares, domesticos, consanguineos, etiam proprios filios exerceat, uti ex communi hic notat Felinus, & Glossator marginalis,

CAPITVLVM XVIII.

Cum te.

PARAPHRASIS.

Si delegatus à Papa aliquam causę partem seu articulum, v. g. inquisitionem, ac testium depositiones, vni aut pluribus Ecclesiasticis personis (ut laboribus, & sumptibus partium parcatur) subdelegauit sententia sibi referuata; hoc casu si contingat à subdelegatis Iudicibus appellari, per eam appellationem non suspenditur iurisdictione delegati.

SYMM.

SUMMARIUM.

1. *A subdelegato delegari Papa, qui subdelegavit causam non totam, sed aliquam eius partem, non ad Papam, sed ad delegantem appellandum est, nisi huius iurisdictionis fuerit impedita, v. g. diuturna infirmitate, absentia &c.*
2. *Delegatus Papa causam sibi commissam personæ Ecclesiasticæ vni, aut pluribus, non iudicis delegare potest.*
Delegatus Principis alijs subdelegare non potest, nisi quibus Papa subdelegare solet, scilicet in dignitate constitutis, aut Cathedralis ecclesiæ Canonicis.
3. *Si subdelegati in sententia ferenda inter se discordent, statim sententia partis maioris; si autem illorum duo tantum sint subdelegati, tum neutrius sententia valet, sed ad delegantem principalem recurrendum, si subdelegatio in totum facta fuit.*
4. *Si subdelegati ab vno in sententia discordent ab altero delegato, recurrendum est ad subdelegantem, qui si in totum subdelegavit, non ad ipsum, sed ad subdelegantem primum recurri debet.*
Debet etiam in hoc casu maior pars subdelegatorum consentire in altero delegato.
5. *Expedit, ut Iudex ordinarius & delegatus articulum aliquem causæ, v. g. restitutum examinationem alteri committat, ne è longinquo evocari debeant.*

NOTANDVM I. Licet, ordinariè loquendo, ad Papam appellari poterit, omissio medio, v. g. ab Episcopo statim ad Sedem Apostolicam, intermissio Metropolitanæ, argum. c. Ad Romanum 8. causa 2. q. 6. Limitari tamen debet: Si delegatus Papæ causam non totam, sed aliquam eius partem subdelegavit, hoc casu non ad Papam, sed ad delegantem appellandum esse, ut etiam habetur in c. super questionibus, 27. §. porro, hoc tit. Ratione dant Abb. hic n. 1. Decius n. 1. Cum enim Pontifex totam hanc causam delegato commiserit, ita ut vices ipsius gerat, frustra

neum videri potest, si ad Papam appelletur, cum in delegato Papalis potestas adsit. Abb. hic, n. 1. Sed excipi debet: Nisi iurisdictionis delegati fuerit impedita, v. g. propter diuturnam infirmitatem, aut absentiam; aut si inutilis reddita per excommunicationem, aut mortem delegati, c. si cui, eod. in 6.

NOTANDVM II. Delegatus Papæ causam sibi commissam personæ Ecclesiasticæ vni, aut pluribus, non laicis delegare potest. Ita Gl. hic ver. à personis. Sed hodie prouisum est in c. statutum, 11. §. in nullo, de rescript. in 6. ut delegatus Principis alijs subdelegare non possit, nisi quibus Papa delegare solet, videlicet in dignitate constitutis, aut Cathedralis Ecclesiæ Canonicis.

NOTANDVM III. Delegatus Principis causam subdelegare potest vni, vel pluribus. Sed quid si subdelegati in sententia ferenda discordent vel inter se, vel cum altero delegato. Respondeo & Dico I. Si subdelegati inter se discordent, statim sententiæ partis maioris: si autem duo tantum sint, qui concordare non possint, tum neutrius sententia valet, sed ad delegantem principalem recurrendum, si subdelegatio simpliciter siue in totum facta fuit, argum. c. ult. de sentent. & re iudic. Tamen si enim textus ille loquatur de delegatis, eadem tamen ratio est de subdelegatis, sicuti hic monet Decius prope finem.

Dico II. Si subdelegati ab vno in sententia discordent ab altero delegato, tum recurrendum est ad subdelegantem; si non in totum subdelegavit: si autem in totum, ad delegantem primum, argum. cit. ult. Quin imò necessarium est hoc casu, ut maior pars subdelegatorum consentiat cum altero delegato. Sin autem duobus existentibus subdelegatis vnus consentiret cum altero delegato, alter non consentiret: Hoc casu non valeret sententia, propter ea quæ in simili dixi in c. pastoralis, 14. de rescript. & videri hic potest Abb. n. 3. Felinus n. 2. not. 2. de rescript. Quamobrem admonet hic Ioann. Andr. consultum non esse, ut delegatus pluribus subdeleget, maximè si socium habeat, cum quo iudicare debeat: nisi illos subdelegatos in solidum constituat, sicuti in simili habetur c. p: ult.

penul. princ. de elect. in 6. Alij tamen, vt Imola hñc n. 4. Abb. n. 3. hoc consilium non recipiunt.

NOTANDVM IV. Vt laboribus & expensis parcatur, expedit, vt Iudex ordinarius, vel delegatus articulum aliquem causæ, v. g. testium examinationem alicui committat, ne è longinquo loco euocari debeant. Quamobrem ex Petr. Ancharano referunt hic Barbatia col. 2. Decius n. 3. Si Episcopus amplam diocesim habens causam subditorum in loco nimis remoto ab illis cognosci velit, partes petere posse, vt alijs Iudicibus in propinquo delegetur; alioquin eos tanquam grauatos appellare posse. Id verò declarari debet, si causa magni momenti non sit, vti constat ex l. cum post, 26. C. appellat. Secus, si ardua, seu alicuius momenti, ita vt tractari debeat in loco, vbi peritorum copia est, iuxta c. statutum, 11. de rescript. in 6. Quare id frequens est, vt in causis non leuibus partes etiam è loco remoto ad Consistorium Episcopi citentur.

CAPITVLVM XIX.

Relatum.

Quæsitum fuit ex Lucio III Si causa ab antecessore eius Iudicibus delegata sit, & priusquam illi eam terminauerint, Papa mortuus sit, vtrum in causa procedere possint. Respondet Lucius: Si lis ante obitum antecessoris contestata sit, morte eius non extinguitur mandatum, seu delegatio. Sin autem contestata non sit tempore obitus, tum Iudices delegati in causa illa procedere non possunt.

CAPITVLVM XX.

Gratum.

PARAPHRASIS.

Vrbanus III. de duobus consultus erat. Primum: Si Iudex delegatus per edictum partes citarit, ante delegantis obitum, sed

lis post eiusdem mortem contestata sit, vtrum Iudex in causa procedere possit, cognita delegantis morte. Alterum: Si Titius à Iudicis sententia appellauit, sed postea inducias petijt ad producendos testes, ac denique renuntians huic productioni, receptas attestaciones publicari postulauit, vtrum hæc agendo appellationem deseruisse censendus sit. Ad I. respondet Papa; Cum per citationem causa sit veluti cæpta, potest Iudex, imò debet in ea procedere, ac definire: preferim, si (tempore litis contestandæ) de obitu delegantis certus non fuerat. Ad II. respondet; Quòd Titius per ea, quæ narrata sunt, ab interposita appellatione recessisse censetur.

SUMMARIVM.

1. *Mortuo delegante, si citatio iam facta, iurisdictio delegati perpetuatur, extinguitur autem, si citatio facta non sit.*
2. *Ad perpetuandam eiusdem delegati iurisdictio sufficit citationem ab ipso emanasse, etsi ad partes non peruenierit.*
3. *Requiritur autem, vt citatio ab ipso delegato vel subdelegato facta fuerit; alias nunquam iurisdictio perpetuatur.*
4. *Iurisdictio ordinaria non expirat per mortem Principis, à quo concessa est; si ordinarius eam vti non cepit.*
5. *Mandatum à Superiore datum ordinario Iudici, aut Officiali, illo Superiore mortuo, mandatum non expirat, sed potest, re licet adhuc integra, executum mandari.*
6. *Intelligi hoc debet in ordine ad iura, seu facultates, qua per negotij inchoationem acquisita censentur; non item in ordine ad imponendam obligationem.*
7. *Si commissiones seu facultates habent rationem gratia seu beneficij accepti, morte concedentis non expirant; secus est, si habent rationem meri mandati, & negotium captum non est.*
8. *Iurisdictio contentiosa ad vniuersita-*

tem causarum delegata, mortuo delegante non expirat, postquam unum earum tractare cepit.

9. Iurisdicção delegata, si nondum cœpta sit, non expirat per mortem delegantis,posito, quod mors in eo loco ignoretur, etiamsi Iudex delegatus priuatim eam non ignoret, & in hoc casu acta valent.
10. Ita valent etiã dimissoria data à Vicario post mortem Episcopi publicè ignoratã.
11. Reuocatione nõ auferitur potestas delegati aut Vicarij, priusquã ipsi ea intimata fuerit ab ipsomet reuocãte, vel nomine eius per nunciũ, procuratorẽ, literas.
12. Quo signo cognoscatur, verum alicui sit commissã iurisdicção ordinaria, an verò delegata.
13. Appellationi renunciare censetur, qui actum contrarium exercet.

Contra prius responsum obijcitur c. præcedens, quod directè contrarium est. Hæc cc. conciliare conatur Abb. hic n. 1. I. mola n. 3. Sanchez lib. 8. disput. 28. n. 10. Sed mihi magis placet, quod Decius hic ait, n. 1. & alij apud Abb. cit. c. 8. Præcedens Lucij III. responsum, ab Urbano III. fuisse correctum. Pro cuius intellectu aduerte, quod canones, quantum id fieri licet, ciuilibus legibus conformentur, c. 1. de noui operis nuntiatione. Legibus autem ciuilibus expressè statutum est, quod iurisdicção delegata expirat per mortem, aut amotionem delegantis, si res integra, seu causa nondum cœpta sit; non item expirat, si causa cœpta sit, l. & quia, 6. ff. de iurisdicção. Nam id vniuersim verum est, quod mandatum morte mandantis, si res integra, seu negotium nondum cœptum sit, expirat. l. mandatum, 15. C. mandati. At verò ciuilibus legibus expressum satis non est, vtrum iurisdicção delegata primùm per litis contestationem cœpta censeatur; an verò solam citationem. Nam prius illud non pauci affirmant, vt Bartol. in cit. l. Et quia, Gl. lib. ver. antequã, Gl. in cit. l. mandatum, ver. finitur, & alij apud Sanch. cit. disp. 28. n. 9. At verò Bartolus in ead. l. Et quia, & alij plures arbitrantur, etiã ciuili iure sufficere citationem à Iudice factã esse,

vt iurisdicção cœpta & idcirco perpetuanda censeatur. Imò non pauci existimant, neq; citationem requiri, sed satis esse, si aliquis iudicialis præparatio antecessit, vt infrã dicam.

Hinc itaque orta est diuersitas decretorum, quod Lucius I l. I. priorem sententiam tãquam tutiorem secutus aliter responderit, quã Vrbanus III. secutus sententiam posteriorẽ, quã & benignior est. Igitur est NOTANDVM I. Mortuo delegante, si citatio facta est, iurisdicção delegati perpetuatur: sin autẽ facta nõ est citatio, extinguitur. Ita hic expressè docet Vrbanus III. Ratio est: Quia iurisdicção delegati per mortem delegantis non extinguitur, si illã vti cœperit, c. licet, 30 hoc tit. Atqui principium & fundamentum iudicij, seu contentiosæ iurisdicçãois est citatio, §. vlt. Instit. de pœn. temerè iudicantium, iun. Gl. c. vlt. de off. delegati, & docet Gl. in c. quoniam, 11. ver. citationes, de probat. Ergo & c.

NOTANDVM II. Ad perpetuandã iurisdicçãoem Iudicis delegati, sufficit, si citatio ab ipso emanãrit, tametsi ad partes non peruenierit. Gl. magna communiter recepta in Clem. 2. Vt lite pendente, Abb. hic & alij apud Sanchez lib. 8. disput. 28. n. 13. contra Cardinal. Zabarell. in cit. Clem. 2. opposit. 6. Colligitur ex verbis huius c. *Proposito citationis edicto*. Nam olim citationes fieri solebant per edicta publica: sed hodie fieri debent per literas, aut nuntium destinatum ad personam citandã: nisi fraudulenter lateat, vel impediãt, quò minùs citatio peruenire queat, vel si locus aut domicilium tutò adiri non possit, deniq; quotiescunq; nescitur, vbi sit, qui citari debet, tum publicis edictis locus est, Clem. 1. de iudicijs, & docet hic Abb. n. 4. Robertus Maranta de ordine iudiciorum, p. 6. n. 82. Ratio autem traditæ doctrinæ est: Quia citatio habet vim præcepti, quod quatenus à Superiore, seu Iudice procedit, effectum consecutum censetur, atque quatenus est ex se, potentiam obligandi continet; tametsi per accidens, videl. propter ignorantia, non obliget, donec alteri intimetur, vti in simili dixi de legis obligatione in lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 2. n. 1.

QVÆRITVR primò: Vtrum iurisdic-
 delegata eo ipso perpetuari cenſeatur, etiam
 ſuperueniente morte delegantis, quia dele-
 gatus alteri ſubdelegauit. Affirmant Hoſti-
 enſis in cit. c. licet, Gl. in c. penult. ver. pro-
 ceſſum, eod. tit. in 6. Syl. ver. delegatus, q. 6.
 Nam iurisdic-
 tio perpetuatur, cum primùm
 delegatus eà vti cœpit, cit. c. licet. Atqui eam
 ſubdelegando vtitur iurisdic-
 tione ſibi dele-
 gata: Ergo &c. Et ſimili ratione aiunt Hoſti-
 enſis & Syl. ll. cc. Barbatia c. relatum, col.
 8. & alij apud Sanchez n. 8. ſi qualitercunque
 iudicium etiam extrinſecum, ſeu præparato-
 riè cœptum ſit, vt ſi Iudex delegatus locum
 iudicio exercendo elegit, Notarium vocauit,
 3 aut citationem fieri iuſſit. Sed contrarium
 eſt dicendum, niſi citatio ab ipſo delegato,
 ſeu à ſubdelegato facta fuerit, nunquam per-
 petuari iurisdic-
 tionem. Ita Ioann. Andr. in
 cit. c. penult, n. 1. Dominicus col. 1. Felini-
 nus in c. relatum, n. 12. Sanchez. cit. diſp. 28.
 n. 18. Ratio eſt: Quia delegare & ſubdele-
 gare, ſicuti & Notarium eligere non ſunt ac-
 tūs iudiciales: quamobrem etiam extra ter-
 ritorium Iudicis ordinarij, aut delegantis
 fieri poſſunt, teſte Felino l. c. conſequenter
 per exercitium talis actūs non eſt cœptum
 iudicium. Confirmatur hæc doctrina ex c.
 penult. eod. tit. in 6. & c. vlt. de offic. legati.
 Ad argum. pro parte contraria reſp. maio-
 rem veram eſſe, ſi delegatus actum iurisdic-
 tionis intrinſecum ſeu ſubſtantialem exercuit,
 ſecūs, ſi extrinſecum, & accidentalem tan-
 tùm, cuiuſmodi eſt ſubdelegare.

Corollarium. Si delegatus Principis cau-
 ſam ſubdelegarit, ſicuti ei cõmuni iure con-
 ceſſum eſt, & poſtea re integra moriatur, ſu-
 perſtite principali delegante, expirat pote-
 ſtas ſubdelegati. Secūs verò eſt, ſi alius dele-
 gatus ſubdelegauit per poteſtatem ſpeciali-
 ter ſibi à delegante conceſſam. Ita Sanchez
 n. 36. in ſine. Ratio diſcriminis eſt: Quia in
 priore caſu ſubdelegatus immediatè accipit
 poteſtatem à ſubdelegante: at verò in poſte-
 riore potius à delegante principali, cuius
 nomine & auctoritate ſubdelegatio, ſeu ſub-
 ſtitutio ſit, arg. c. 1. de officio Vicarij in 6.

4 QVÆRITVR ſecundò: Vtrum etiam iu-

riſdic-
 tio ordinaria expiret per mortem Prin-
 cipis, à quo conceſſa eſt, ſi Ordinarius ille iu-
 riſdic-
 tione vti non cœpit. Reſponſio eſt ne-
 gatiua, ex l. & quia, 6. ff. de iurisdic-
 tione & c. 2. de
 offic. legati, in 6. Ratio eſt, quam Abb. aſſert.
 in c. relatum, n. 4. hoc tit. Quia iurisdic-
 tio ordinaria à lege, aut Principe conceſſa, cum
 primùm acceptata eſt, tanquam gratia ſeu
 ius quoddam adhæret perſonæ, conferens
 illi ſtatim ac dignitatem Iudicis, ac Superi-
 oris. Gratia autem, ius, ſeu beneficium alicui
 à Principe conceſſum, morte concedentis
 non expirat, c. ſi ſuper, 9. eod. tit. in 6. Ergo
 neq; iurisdic-
 tio ordinaria. Imò firmiùs radi-
 cata eſt ordinaria iurisdic-
 tio, quàm alia gra-
 tia Principis. Hæ enim ordinariè per mortem
 Principis expirant, ſi cõceſſæ ſint ad bene-
 placitum concedentis, c. ſi gratiosè, 5. de re-
 ſcript. in 6. Sed iurisdic-
 tio ordinaria tali for-
 mula conceſſa, per mortem Principis non
 extinguitur: Idquæ propter publicum fa-
 uorem, ait Sanchez lib. 8. diſp. 28. n. 5. &
 plures refert, ac ſequitur Menoch. de arbitra-
 rijs Iudic. qq. caſu 69. n. 9. At verò iurisdic-
 tio delegata cum ſit inſtar mandati, quod
 in gratiam mandantis fieri ſolet, potius cen-
 ſetur eſſe aliquid ſpectans ad mandantem, ſeu
 delegantem, quàm delegatum. Quouique
 iſte cauſam aggredi cœperit, ex eo tempore
 iurisdic-
 tionis poteſtas veluti oſſibus eius in-
 hæret, ſeu, vt clariùs dicam: ex eo tempore,
 non antè Iudex eſſe incipit, vti colligitur ex
 c. quamuis, 6. hoc tit. in 6.

Corollarium I. Si quid à Superiore man-
 datum ſit ordinario Iudici, aut Officiali, illo
 mortuo, non extinguitur mandatum, ſed po-
 teſt executioni mandari, tamen ſi res integra
 ſit. Ita intelligenda eſt doctrina Bartoli in
 cit. l. & quia, n. 5. Abb. in c. relatum, n. 9.
 hoc tit. ex Auth. Vt nulli iudicium, §. Et hoc
 verò iubemus. Aliorum apud Sanchez cit.
 diſp. 28. n. 42. Ratio eſt: Quia tale manda-
 tum cenſetur eſſe acceſſorium iurisdic-
 tionis aut officio ordinario, iuxta c. licet, 12. de
 offic. ordinarij. Acceſſorium autem ſequitur
 naturam principalis, argum. c. 9. hoc tit. in 6.

Corollarium II. Quod dictum eſt, man-
 datum non extingui morte mandatis, ſi ne-
 gotium

negotium ceptum est, id intelligi debet in ordine ad iura, seu facultates, quæ per negotij inchoationem acquisitæ censentur: Non item in ordine ad imponendam obligationem. Quamobrem docent Syl. ver. mandatum, q. 3. Sanchez. cit. disp. 28. n. 47. quoddam præceptum Superioris, morte præcipientis omnino extinguatur, tametsi res integra sit: v. g. si Prælati tibi præceperit, vt peregrinationem instituas, atque dum in via procedis, certior reddaris de morte illius, illico recedere potes, neque perficere cogaris. Si tamen tuâ interest, vt perficias, non prohiberis perficere, ne officium mandati à te susceptum damno tibi sit.

7 Corollarium III. In quibuscumque commissionibus, aut facultatibus considerandum est, num habeant rationem gratiæ, seu beneficij acceptati, tum non expirant morte concedentis: an verò habeant rationem meri mandati, & censeri debent expirare morte mandantis, si res integra sit. Hanc doctrinam tradidi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. q. 4. Exempla plurima sunt: videl. Potestas absoluedi à casibus reseruat, dispensandi in impedimentis matrimonij, in votis, assistendi matrimonio, suscipiendi ordines ab Episcopo alieno, eligendi Confessarium, vescendi ouis, aut carne tempore Quadragesimæ, in beneficio non residendi, testamentum faciendi. Tales, inquam, facultates seu à Papa concessæ sint, seu ab alio potestatem habente, morte concedentis non extinguuntur, cum sint gratiæ. Ita præter alios docet Henriq. lib. 7. c. 21. n. 6. Syl. ver. dispensatio, n. 11. q. 6. Quare si Papa v. g. committat Ordinario loci, alteriue personæ, vt cum certa persona dispense in matrimonij impedimento, si preces veritate nitantur, censetur gratia iam facta Titio, & Ordinario solum executio demandari, quam is petenti negare non potest, etiamsi qui gratiam concesserat, mortuus sit, sicut bene docet idem Henriq. n. 7. Sà ver. dispensatio n. 6. Sanchez cit. disp. 28. n. 87. Sin verò gratia facta non sit, sed facienda; quia commissum seu mandatum erat Ordinario loci, vt cum Titio causâ cognitâ dispense, si ipsi videatur, tum expirat morte

mandantis, si causa cepta non sit; secus, si cepta: Vt si Commissarius informationem de veritate precum acceperit, superueniente morte delegantis, causam exequi poterit, vt docet Sanchez cit. disp. 28. n. 20.

Simile quiddam est: Si Titius famulo suo mandauerit, vt Caio præsentis, & seu expressè seu tacitè consentienti 100. aureos donet, & ante executionem moriatur Titius, potest ac debet famulus exequi; cum Caius ius suum exigere possit. Sin verò Titius famulo mandauerit, vt Caio absenti, & nondum acceptanti 100. aureos donet, sed ante mortem non exequatur, postea exequi non potest: quia mandatum morte mandantis extinguatur: Et donatio hæc nondum erat facta, sed facienda. Ita docet Baldus in l. & quia, ff. de offic. Proconsulis. Ludouic. Molina to. 2. disp. 263. 264. §. iuxta hætenus, & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 1. n. 5.

8 QUÆRITUR tertio: Vtrum iurisdicção contentiosa ad vniuersitatem causarum delegata, mortuo delegante expiret? Videtur esse negandum; quia iurisdictioni ordinariæ æquiparatur, vt dixi. Sed contrarium communiter docent DD. apud Sanchez cit. disp. 28. n. 34. argum. c. ne aliqui, 10. de hæret. in. 6. iun. Gl. magna, & dixi de hoc lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. q. 4. Ad rationem in contrarium respondet Abb. in c. relatum, n. 7 hoc tit. Non in omnibus æquiparari ordinariæ. Sed arbitror, facilius responderi posse; Iurisdictionem ad vniuersitatem causarum ordinariæ æquiparari, postquam ea in Iudicem delegatum transijt, ipsique plenè acquisita censetur. Adeò quidem, vt etiam in hoc casu, postquam Iudex ad vniuersitatem causarum delegatus, vnam causam tractare ceperit, iurisdicção eius etiam quoad alias nondum ceptas stabilita & perpetuata maneat, idque propter earum connexionem in ipsa commissione factam: Secus enim foret, si plures causæ in commissione specificè expressæ fuissent, tum vnà earum ceptâ, iurisdicção quoad alias non ceptas, morte delegantis cessaret, vt ex communi docet Sanchez cit. disp. 28. n. 27. argum. l. scire, 29. ff. de verb. obligat. Præterquam si causæ inter

se connexionem habeant; ita ut una alteram secum trahat, iuxta l. ult. C. de duobus reis. & notauit Abb. in c. licet, 30. n. 5. hoc tit. Exinde tamen nemo inferat, si cui à Papa, Episcopo vel Parocho commissà seu delegata sit facultas audiendi confessiones fidelium omnium, aut dicecesanorum, aut parochianorum, quòd mortuo delegante, facultas expiret, si delegatus eà uti non cœperit. Contrarium enim asserendum, cum hæc sit gratia, quæ morte concedentis non expirat. Quæ de re lege, quæ dixi cit. c. 10. q. 4. n. 22. & docet Sanch. lib. 8. disp. 28. n. 72.

QVÆRITVR quartò: Vtrum iurisdictio delegata, si nondum cœpta sit, ipso iure expiret per mortem delegantis, tametsi ea in loco, ubi iurisdictio exercenda est, ignota sit. Respondeo & Dico I. Parum aut nihil refert, vtrum ipse delegatus mortem sciat, an nesciat. Ita ex communi docet Specul. tit. de offic. delegati, §. Restat, n. 5. Sanchez lib. 3. disp. 22. n. 59. resp. ad I. Cum enim iurisdictio nondum inhæreat delegato, ideo cum suo auctore, videl. delegante expirat, siue sciat siue ignoret delegatus: præsertim cum iura nihil distinguant.

- 9 Dico II. Si mors publicè in eo loco ignoretur, tametsi Iudex delegatus priuatim sciat, valent, quæ ab ipso acta sunt, argum. l. Barbarius, ff. de offic. Prætorum. Concurrunt enim hic titulus coloratus, seu præsumptus, cum literæ commissionis à legitimo Superiore, aut qui pro tali publicè habebatur, exhiberi possint, atque publica ignorantia, defectus, ex morte proueniens: quare, cum impedimentum istud ex iure tantum positiuo proueniat, ius supplere censetur ob publicam utilitatem, iuxta ea quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 22. n. 9. Et ita contra Abbat. hic. n. ult. docet Sanchez cit. loco, post Flamin. Parisium lib. 7. de resignat. benefic. q. 24. n. 33. ampliatur. 4. ubi idem docent de Episcopi Vicario, valere acta eius, si mors Episcopi publicè in eo loco ignoretur. Quod etiam tradit Henriq. lib. 6. c. 13. n. 3. lit. A. in comment. & lib. 10. c. 22. n. 3. in comment. lit. P. qui loquitur de dimissorijs datis à Vicario post mortem Episcopi, pub-
- 10

licè ignoratam. Idemque eadem ratione dicendum, si potestas delegati, vel Vicarij reuocata sit, sed reuocatio publicè ignoretur, uti docet idem Sanchez & Flaminus locis citat. Anastasius Germonius de indultis Cardinal. §. Tibi quoad vixeris, n. 63. Imò hoc peculiare est, quòd reuocatione non auferatur potestas delegati, aut Vicarij, priusquam ipsi intimata fuerit ab ipsomet reuocante, seu nomine eius per missum nuntium, procuratorem, literas, uti ex communi tradit Rebuffus in praxi benefic. tit. de forma vicariatus, n. 212. Sanchez lib. 3. disp. 30. n. 11. & seqq. argum. l. si fortè, 17. ff. de off. Præsidis, iun. Gloss. ver. cognouerit aduenisse.

QVÆRITVR quintò: Quo signo cognosci possit, vtrum iurisdictio alicui commissà, sit ordinaria, an delegata? Respondeo ex doctrina Bartoli in l. & quia, n. 8. ver. iuxta hoc, ff. de iurisdict. Abb. in c. relatum n. 5. hoc tit. Vel committitur causà una, vel plures specificè ac determinatè, & censetur esse iurisdictio delegata. Vel committitur vniuersitas causarum à Principe: & censeri debet ordinaria, nisi aliud exprimat, vel ex adiunctis colligatur esse delegatam, ut si Princeps dicat, *auctoritate nostra cognoscas*. Vel denique causarum vniuersitas committitur ab inferiore, videl. ab Episcopo, & distinguendum, vtrum fiat ex lege, aut consuetudine vim legis habente, aut ex electione vniuersitatis. Quæ ratione in dicecesibus Parochi, Archidiaconi, vel Archipresbyteri seu Decani cum certa iurisdictione eorum officio annexa ab Episcopis institui debent, & eorum iurisdictio ordinaria est, iuxta l. & quia, iun. Gl. ver. nec legem, ff. de iurisdict. Vel denique instituuntur ab homine, videl. ipso Episcopo, designante illis iurisditionem arbitrato suo, & censeri debent delegati. Quandoquidem inferior Papa Iudices ordinarios in foro externo, aut interno instituere non potest, uti etiam dixi supra.

QVÆRITVR sextò: Si delegans in excommunicatione, aut suspensione sit, non toleratus, vtrum iurisdictio delegati cesset. Resp.

cum Host. & Dominico in c. 1. col. 2. de offic. Vicarij in 6. Tabiena, ver. Vicarius, n. 8. Abb. in c. licet, 3. o. n. 8. hoc tit. Sanchez lib. 3. disp. 3. o. n. 7. Non omnino cessare, sed suspendi iurisdictionem delegati, quoad negotia nondum cepta. Sed quoad negotia cepta radicata est iurisdictione in delegato: quamobrem non suspenditur per inhabilitatem delegantis: in quo differt iurisdictione delegati à iurisdictione Vicarij generalis, quippe cum diuersa non sit ab Episcopi iurisdictione, ut dixi in c. 1. de offic. Vicarij, in 6.

NOTANDVM II. Appellationi interpositæ censetur quis renuntiare, si actum appellationi contrarium exerceat: ut si inducias petat ad respondendum obiectis, vel testium publicationem fieri. Idemque est, si Iudicem quis recusat, & postea tale quippiam ab eodem petat, censetur iterum consentire in Iudicem, adeoque reuocare recusationem. Cæterum si grauatus, post grauamen illatum, coram Iudice litigare pergat, non censetur renuntiare appellationi interponendæ: quia fieri potest, ut de ea deliberet. Vide Gl. hic ver. recessum, Abb. n. 6. Decium n. 4.

CAPITVLVM XXI.

Prudentiam.

PARAPHRASIS.

Inter alia ex Cælestino III. quæsitum fuit: Si causa tribus Iudicibus commissa sit, ita, ut si omnes interesse nequeant, duo exequantur, vtrum reus comparere teneatur, quando à duobus tantum citatus fuit. Præterea, si à tribus Iudicibus citatus comparuerit, vtrum duo in causa procedere possint, si tertius nec veniat, nec per literas, ut fieri solet, se excuset. Respondet Papa, Nisi duobus Iudicibus seu ex certo nuntio, vel excusatore cum literis destinato, aliunde constiterit, quod tertius adesse non possit (vel nolit) duo illi procedere haud possunt: si procedant, acta irrita erunt. Nam ex antiqua consuetudine Pontifex maualt causam commit-

tere duobus, quam vni, tribus, quam duobus: quia integrum magis iudicium æstimatur, quod plurium sententijs confirmatur. Quare si aliter, quam ipsis mandatum. Iudices procedant, præter formam mandati iudicare censendi sunt.

Atque per hoc etiam satisfactum videtur primæ dubitationi, uti hic Gl. magna in fine annotauit. Si enim Iudices duo sine tertio procedere non possint, sequitur quod citatus à duobus tantum comparere non teneatur, cum ius citandi non habuerint. Nisi in citatione expriment impedimentum, aut excusationem tertij: tum fidem habere debet citatus, atque comparere, uti Abb. hic docet n. 17.

SUMMARIVM.

1. *Plures iudices ad terminandam causam delegati non habent iurisdictionem in solidum, nisi id in forma exprimat.*
2. *Vnde si duo iudices absq; tertio iudicassent; tertius postea acta ratificare non potest.*
3. *Si plurium cognitio, vel consensus, aut similis forma seu conditio requiritur ob fauorem priuatorum, quorum interest, renuntiare possunt; non item, si conditio ob publicum fauorem apposta sit.*
4. *Delegatus compelli potest ad acceptandam delegationem; & si nolit, puniri potest à delegante, vel ab immediato etiam suo Ordinario.*
5. *Si reus coram delegato obicit excommunicationem actori, quam non probat intra tempus debitum, auditur actor.*
6. *Si verò de excommunicatione constiterit, delegatus absoluet actorem, nisi ob aliam causam, qua in iudicium non deuenit, excommunicatus fuerit: tunc ad excommunicatorem remittendus erit, qui si malitiosè nolit, delegatus Papam absoluet, in commodum partis, non autem eius proprium.*
7. *Absolutus à delegato, posita cautione, ob causam, pro qua fuerat excommunicatus, ab excommunicatore compellendus*

*erit ad satisfaciendum; sin autem is no-
lit, ab ipso delegato.*

NOTANDVM I. Si plures iudices ad causam terminandam delegati sint, non habent iurisdictionem in solidum, nisi id in forma exprimatur. *Qua de re in c. cum plures, 8. eod. tit. in 6.*

Sed contra obijci potest, quod iurisdictione sit indiuisibilis, secundum Gl. hic ver. teneatur, Abb. n. 6. Gl. in c. loquitur, 18. ver. in solidum, causa 24. q. 1. Ergo non potest pluribus partialiter competere. Resp. Dicitur illud duplicem declarationem requirit.

Prima est. Tamen si iurisdictione secundum se diuidi non possit, ita ut pluribus secundum diuersas sui partes competat: potest tamen pluribus ita competere iurisdictione, ut eam singuli totam habeant, sed non totaliter. *Quemadmodum, ait Gl. cit. si plures vnam trabem furentur, quam vnus auferre nequit, singuli totam furantur, licet non totaliter.*

Pro cuius rei pleniore intellectu sciendum est, ex doctrina Abb. hic n. 6. & seqq. Decij n. 7. Vel iurisdictione aut similis potestas v. g. presentandi, Doctores creandi, competit pluribus collegialiter, tunc singuli iurisdictionem, aut potestatem illam non exercent, sed Collegium: *Quamobrem sententia aut decretum eorum non valet, nisi sit ex consensu maioris partis Collegij legitime congregati, l. quod maior, 19. ff. ad Municip. Quod si autem obijciatur, reliquam partem, quae non consensit, saniozem esse, etiam de hoc cognosci debet, vti Gl. margin. notauit in l. quod maior, 19. ff. ad municip. Abb. hic n. 10. Quamuis Decius hic dicat, in profanis, seu non Ecclesiasticis causis semper sufficere, quod pars maior Collegij consenserit. Vel iurisdictione, aut similis potestas competit pluribus ut singulis, tunc differentia est: *Quod interdum eis competat totaliter, seu in solidum: ut si sint duo generales Vicarij Episcopi, hi tum simul, tum seorsim causas cognoscere possunt, Quod si vnus praecipue, alter se immiscere nequit, nisi illi, qui coeperat, impedimentum incidat, vti notat Bartolus in l. 1. ff. de offic. consulis, Abb. hic n. 11. Barba-**

tia col. 11. constat ex c. cum plures, 8. hodie in 6. vbi plures iudices a Papa delegantur, sub ea forma, ut coniuictim & diuisim procedere possint, ideoque detur locus praerogationi. Idemque dicendum de pluribus tutoribus, quod singuli administrationem habent in solidum; ita ut vnus sine altero pupilli negotia gerere possit: praeterquam si de eo agatur, ut tutela finiatur, l. vl. C. de tutor. praestanda. Denique idem dicendum de pluribus haeredibus, quod ante factam diuisionem, in oppida & castra habeant iurisdictionem in solidum; quamuis vnus sine altero statuere aut immutare non possit cum illius incommodo, vti hic Abb. docet n. 14. post Bartol. in l. Pomponius, ff. de re iudic. quam doctrinam examinat Barbatia col. 30. Interdum vero iurisdictione, seu potestas competit pluribus, ita ut singuli totam habeant, sed non totaliter, ut initio dixi.

Altera declaratio est. Licet iurisdictione secundum se diuidi nequeat, tamen per accidens diuidi potest, videl. ratione temporis, aut loci. Exemplum primi: Si duo Consules ciuitatis alternis annis officium administrarent, seu iurisdictionem exercent. Hoc casu officium, seu iurisdictione consulis per accidens diuiditur in ordine ad exercitium, secundum varia tempora. Secundi: Si territorium ex haereditate fratribus proueniens inter ipsos diuidatur, consequenter etiam iurisdictione in ordine ad loca illa diuiditur. Potest autem talis diuisio semper institui, nisi terra vinculo primogeniturae affecta sit, aut ex feudi specialis concessione, aliaue dispositione hanc conditionem habeat, ut indiuisa maneat. *Qua de re Abb. hic n. 13. Felin. n. 3. Lud. Molina tom. 3. de iust. p. 1. disp. 581. Porro admonet Felinus n. 5. Quandoquidem communitio, praesertim in iurisdictione exercenda, discordias ponere solet, ideo quandoque cogi posse socios ad talem diuisionem instituendam.*

NOTANDVM II. Duo modi sunt, quibus aliquid denuntiari alteri possit, ut is fidem habere debeat: Videl. per nuntium certum, ac fidei probare, cuiusmodi potissimum esse solent officiales iurati. Et per literas sigillo

gillo proprio, seu authentico munitas. Ita notat hic Barbatia col. 42.

Quærit hic Gl. Si duo Iudices absque tertio procedant, vtrum tertius postea ratificare possit acta. Videtur affirmandum arg. c. quod sicut, 28. de elect. vbi dicitur, quod Capitularis contemptus, seu non vocatus ad electionem, eam, si rescindere nolit, ratificare possit. Sed bene respondet negatiue: quia quod ab initio nullum est, non potest postea conualescere, reg. 29. ff.

Sed vt hæc quæstio, An consensus subsequens sufficiat ad confirmandum, seu ratificandum actum præcedentem, plenius tractetur, ita dicendum videtur: Vel actus propter defectum consensus omnimodè, seu omni iure irritus est: Et tum consensus subsequens non potest actum efficere validum; cum ad præteritum non detur potentia. Si v. g. Confessarius non approbatus, vel non expositus poenitentes absoluit, non potest Episcopus, vel Pontifex postea, quod actum est, ratum habendo, absolutionibus valorem tribuere, sicuti docui lib. 1. tr. 4. cap. 22. n. 8. Excipe: Nisi specialis fictio, aut dispositio iuris subueniat. Quo modo si quis meo ignorantis nomine quippiam egerit, possum deinde ratum habere, perinde ac si initio mandassem, iuxta reg. 10. in 6. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato nõ est dubium æquiparari.* Vel actus aliquo modo, v. g. spectato naturali iure, validus est, licet secundum ius positivum irritus. Tunc ad duo potissimum attendi debet. Primum est. Vtrum actus, qui ob defectum præstiti consensus, iure positivo irritus est, subsistat adhuc potestati, ac dispositioni eius, qui consensum postea supplere, seu ratificare cupit. Nam hac ratione docent DD. Quod Capitulum rata habere possit, quæ à Prælato non requisito eius consensu acta sunt, vt dixi lib. 3. tr. 4. c. 10. n. 4. Prælati quoque nouiter electi, contractus, quos Capitulum vacante Sede instituit, si Ecclesiæ expedire videantur, ratificare, vt dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 15.

Quamobrem generalem regulam tradit Abbas hic num. 19. ex Innocentio num. 7. Si omnis alicuius conditionis, vel solem-

nitatis ex mea potestate non dependentis efficiat actum ipso iure nullum, non possum eum postea ratificare: secus si pendeat à mea potestate. Quare sententiam nulliter latam v. g. die feriato partes ratificare non possunt, vt valeant tanquam sententia; quæuis possint, vt valeat in vim parti seu transactionis, ait hic Decius n. 20. Sed Papa potest ipsam sententiã ratificare, & approbare.

Alterum est, ad quod attendi debet. Vtrum plurium cognitio, vel consensus, aut similis forma, seu conditio requiratur potissimum ob fauorem priuatorum: tum ij, quorum interest, renuntiare possunt; adeo vt si nihil contra actum vel processum opponatur, adeoque tacite consentiant, validus censeferi debeat, arg. c. vlt. §. is autem, hoc tit. Secus, si conditio ob publicum fauorem appositã sit, vt in casu proposito: quia sæpè expedit magis Reipubl. vt causæ à pluribus iudicibus cognoscantur, vt bene docet Abb. hic cit. n. 19. contra Innoc. n. 4. Quare patet etiam responsio ad c. quod sicut: Nam quod omnes, nemine prætermisso, ad electionem vocari debeant, id principaliter decretum est ad iura ipsorum Capitularium tuendum: cum alioquin ad valorem actorum sufficiat duas partes curiæ aut Capituli congregari.

§. Adjicimus.

SI in rescripto adiecta sit clausula, *Si non omnes poteritis, tum duo, aut vnus procedat*; tum si vnus aliquis, vel plures eorum, tamen interesse nolint, alter vel reliqui in causâ procedere possunt. Ratio est: Quia licet noluntas non sit impossibilitas ex parte nolentis, est tamen ex parte coiudicis, qui cum nolente causam cognoscere non potest, vt rectè aduertit Abb. n. 2.

NOTANDVM Vñ. Delegatus compelli potest ad acceptandam delegationem. Ita etiam habetur in l. vn. C. Qui pro sua iurisdic. Id verò declaratur, si sit subditus delegantis, iuxta c. pastoralis, 11. de offic. Ordinarij. Secundo: Si sine graui suo detrimento possit: alioquin, ordinariè loquendo, non censetur Superior subdito mandare velle, quod sine graui rei familiaris periculo exequi non possit.

fit, secundum Gl. ver. cum possit. Si tamen Princeps ita declaret, etiam grauius iubenti obediri debet, arg. c. 3. d. 19. dummodo non sint impossibilia de iure, aut de facto.

Querit hic Gl. ver. redarguendus, Quisnam Superior punire debeat delegatum, si mandatum Apostolicum exequi nolit; Et respondet, quod delegans, ad quem ea causa pertinet. Eamque Gl. communiter receptam esse, ait Imola hic n. 40. Quamuis Abb. hic in fine velit, quod etiam ab immediato suo Ordinario, perinde ut alij criminosi puniri possit, eod quod mandatum Superioris sui exequi contempserit.

§. Sexta.

ID quoque quaesitum fuit ex Coelestino **III.** Si coram delegatis Iudicibus reus Aetori excommunicationem obijciat, ob quam in iudicio is stare impediatur, vtrum aetor nihilominus audiendus sit, quando reus quod obiecit, statim probare non vult, aut non potest. Ad hoc respondet, Si Reus objectionem, seu exceptionem illam Aetori de excommunicatione eius oppositam statim, vel intra terminum competentem (videlicet octo dies postea, cap. 1. de except. in 6.) non probauerit, Aetorem audiendum esse, Verum si ex confessione eiusdem Aetoris, aut aliis legitimè constiterit de excommunicatione illius post Apostolicum rescriptum incursum, tum à Iudicibus delegatis absolui debet: quia Pontifex ipsis causam delegando etiam alia commississe censetur, quae accessoria sunt, & ad causae expeditionem necessaria. Sed excipitur primò: Nisi Aetor ob aliam causam, quae in iudicium non deuenit, excommunicatus fuerit, tum ad aetorem excommunicationis, Iudicem ordinarium, vel delegatum pro absolutione mittendus erit: qui si absoluere per malitiam recuset, tum delegati Iudices secundum formam Ecclesiae absolutionem conferant. Secundò: Nisi excommunicatio Sedi Apostolicae specialiter reseruata sit.

NOTANDVM I. Reus Aetorem repel-

lere potest obijciendo illi excommunicationem maiorem, propter quam in iudicio stare non possit: quandoquidem excommunicatio priuat hominem forensi seu iudiciali communicatione, ut dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. a. n. 14. Quare necesse est, ut Aetor excommunicatus, excipiente contra illum Reo, aut repellatur à Iudice, aut (si iudicet causam terminandam esse, v. g. ad mandatum Papae) absoluat ab eo, ad quem ut auctorem pertinet. Veruntamen, si absolutio (ut saepe fit) conferatur homini non absolute, sed tantum ad praesentem actum iudicalem exercendum, cuius alioquin incapax esset, illam Iudex delegatus semper conferre poterit, cum eà re excommunicatoris iurisdictioni nihil omnino praedicit, siquidem quoad alia omnia, adeoque absolute loquendo, hominis excommunicatio permanet, ut constat ex ijs, quae dixi lib. 1. tract. 5. p. 1. c. vlt. n. 8. & quaerit Abb. in c. veniens, 18. n. 18. de testib. Suarez de censur. disp. 7. sect. 8. num. 19. & 20.

NOTANDVM II. Tame si Iudex delegatus etiam quae accessoria causae sibi commissae sunt, expedire possit, iuxta c. praeterea, 5. hoc tit. duplex tamen est limitatio. Prima. Quod quae specialia sunt, seu specialem commissionem exigunt, ea expedire nequeat: Quamobrem, ut in hoc c. dicitur, Iudex delegatus aetorem absoluere non potest ab excommunicatione Papae reseruata. Quod intelligit hic not. 5. Si excommunicatio ob aliam causam, quae delegata non est, contracta fuerit.

Altera. Si quod expediri debet, ad causam delegatam proprie ac directe non spectat, sed ad alterius iurisdictionem, ac potestatem: tum is moneri prius debet, ut officium praestet: sin autem malitiosè recuset, tum ob necessitatem ad ipsum delegatum potestas deuoluitur. Ut in casu huius Capituli: Si aetor causam delegato Papae prosecutionis dicatur excommunicationem Episcopalem incurrisse, ad Episcopum, tanquam auctorem & proprium Superiorem mittendus est, ut absoluat, praestita cautione, seu promissione parendi mandatis Ecclesiae. Quod si

Epi

Episcopus absoluere malitiosè recuset, tunc delegatus absoluere eum poterit.

Sed quid? si Episcopus ideo non absoluat hominem, quia dignus non est, videl in pertinacia persistens. Resp. Hoc casu neque delegatus absoluere potest absolute; sed vel repellere debet actorem, & Pontificem de statu causæ informare; vel, si necessitas postulet, vt causa v. g. matrimonialis terminetur, tum hominem absoluere potest ad reincidentiam, id est, tantum ad præsentem actum iudicalem exercendum, ita vt postea is in eandem excommunicationem reincident. Nam tali absolutione, seu potius habilitatione aut dispensatione nihil præiudicatur iurisdictioni excommunicatoris, cum quoad alia omnia, adeòque absolute, excommunicatio hominis permaneat, vti constat. Dixi autem, si necessitas id postulet: Sed, ordinariè loquendo, verum est, quod Decius hic docet not. 4. Licet testis ad reincidentiam absolui possit ab excommunicatione, in commodum partis; non tamen ipsum actorem in commodum proprium.

§. Si verò.

Si excommunicatore per malitiam denegante absolutionem, iudices delegati excommunicatum præstita cautione, quod mandatis Ecclesiæ parebit, absoluerint; tum ad eundem excommunicatorem (si Papa specialiter alijs nõ delegauerit) pertinebit causam illam finire, & iusta præcepta imponere, quibus absolutus obedire debet. Sin autem excommunicator malitiosè differat causam illam finire, tum ipsi delegati iurisdictionem in eadem illa causa exercere poterunt: eò quod accessorium ad principale trahatur.

Casus, & dubitatio hæc est: Papa cuidam Canonico causam aliquam delegavit: Sed Reus coram delegato excepit contra Actorem, quòd excommunicationem Episcopalem contraxisset. Iudex delegatus petijt ab Episcopo, vt exacta cautione parendi Ecclesiæ mandatis, absolueret Actorem. Illo pertinaciter abnuente, ipsemet delegatus ab-

solutionem contulit, cautionemque accepit. His positis, restat dubium; Vtrum Episcopus, qui excommunicat, an verò delegatus, cui cautio præstita est, ad satisfaciendum còpellere possit; Respondet Pontifex, quòd excommunicator: Sin autem is noluerit, tum demum delegatus. Ratio est: Quia ad excommunicatorem per se spectat tota causa illa, ob quam excommunicatio lata est: At verò ad delegatum eadem spectat per accidens, seu ob incidenciam alterius sibi delegatæ causæ: Quod autem per se est, principalius est, quàm id, quod est, per accidens.

CAPITVLVM XXII.

Cùm causa.

PARAPHRASIS.

Innocent. III. controuersiam super decimis, quæ inter duos Archiepiscopos erat, tribus Iudicibus commisit. Vnus Archiepiscoporum ad citationem duorum Iudicum accessit, atque excipiendo proposuit, quòd iudicio illorum se submittere non cogatur; partim quia cùm causa tribus commissa esset, à duobus tantum, tertio inconsulto, neque vices suas committente, citatus fuerit: partim quia ante eorundem citationem, & literarum notitiam, nuntium ad Sedem Apostolicam propter eandem causam destinàrit: quod ipsi suffragari debeat, iuxta Alex. III. constitutionem infrà de appellat. c. adhæc, 30. Sed Iudices exceptiones istas admittere nolentes, interlocutoriam sententiam protulerunt, quòd dictus Archiepiscopus coram ipsis respondere teneatur. Quamobrem is ad Sedem Apostolicam appellauit. Sed eo non obstante, Iudices processerunt, atque Actorem in possessionem decimarum introduxerunt. Hoc intellecto Papa alijs constitutis Iudicibus mandauit, si ita res se habeant, sicuti narratum fuit, vt decimas Archiepiscopo, (siue per potentiam laicalem, siue per dictos Iudices spoliatus fuerat) vnà cum fructibus

K k k k inde

inde perceptis restitui faciant; præsertim cum decimæ illæ Archiepiscopo antehac à Sede Apostolica confirmatæ fuerint: Quòd si autem contra dictum Archiepiscopum quippiam de iure seu proprietate decimarum oppositum fuerit, ijdem Iudices cognoscere ac definire debeant.

SUMMARIUM.

1. Si ex tribus iudicibus delegatis tantum unus, aut duo citent, partes non tenentur comparere, nisi unus suas vices alteri commiserit, aut in citatione insertum sit, unum ex iudicibus se excusasse.
2. Spoliatus à iudice contra ius, restituendus est, & postea de iure seu proprietate spoliati cognoscendum.
3. Trina monitione opus est, ut propter negligentiam Superioris potestas procedendi ad inferiorem deuoluatur.

1 **NOTANDVM I.** Si ex tribus Iudicibus delegatis, tantum vnus, aut duo citent, partes non tenentur comparere. Ita etiam habetur in c. prudentiam, 21. hoc tit. Sed limitari debet: Nisi vnus suas vices alteri commiserit, c. quamuis, 6. hoc tit. Vel nisi in citatione insertum sit, vnum Iudicem se excusasse, cit. c. prudentiam. Deinde, si citatus non ab omnibus, cum non teneatur, tamen compareat, quando omnes tres præsentés sunt, respondere tenetur, secundum Innoc. hic, quem sequitur Barbat. hic col. 4. Decius not. 3. Nam cum plures præsentés sunt, citatione opus non est, arg. l. de vnoquoque 47. ff. de re iudic. Licet aliter Hostiensis apud Abb. hic n. 3. sentiat.

2 **NOTANDVM II.** Sicuti spoliatus à priuato ante omnia restituendus est, c. 1. de restitut. spoliat. ita etiam spoliatus à iudice contra ius; & postea de iure seu proprietate spoliati cognoscendum. Consentit cap. 3. de procurator. & conquerente, de restit. spoliator. Sed in hoc puncto ita distinguendum cum Abb. n. 4. Barbat. col. 5. Decio in 4. not. Felino col. 1. Vel Iudex incompetens est, seu non præditus potestate, vt in casu huius c.

tunc simpliciter vera est doctrina. Vel est Iudex competens, tum ordinariè est presumptio pro illo, quòd iuste processerit: quare spoliatus ostendere debet, sibi iniuriam illatam; alioquin restituendus non est, arg. c. dilectus, 26. de rescript. vbi id dixi not. 2. & docet Glos. communiter recepta in c. præsentium, 3. causa 7. q. 1. in fine. Excipe I. Nisi Iudex non seruato iuris ordine hominem spoliari, cit. c. conquerente. II. Nisi notorium sit, Iudicem iniuste condemnatum spoliasse.

Quærit I. hic Gl. ver. ab illis: Quo iure duo Iudices delegati tertium ad causam tractandam citare possint; cum par in parem non habeat imperium, c. innouit, 20. de elect. Et bene respondet, quòd non possint eum citare cum imperio; sed admonere, vt veniat. Quæ etiam ratione qui in Capitulo senior est, aut Decanus, reliquos Canonicos conuocat ad electionem, vel consultationem, & tamen venire recufantes punire non potest; cum spectato communi iure Capitulum, vel Decanus in singulos Canonicos iurisdictionem non habeat, ait Abb. hic n. 7. ex Innoc. c. cum nobis, 19. n. 4. de elect. Simili modo, qui in liga aliqua, seu inter confederatos potentior est, socios vocat ad conuentum: sed venire nolentes punire non potest; nisi pena conuentionalis inter ipsos constituta sit. Quæ de re Decius hic col. 2.

Secundò quærit Gl. Vtrum sufficiat vna citatio, seu monitio, cõstituto termino competente, intra quem si non rescribat, nec accedat tertius delegatus, potestas ad alios deuoluatur, si rescriptum clausulam habeat; Quòd si non omnes. Et respondet non sufficere vnam, sed requiri trinam monitionem. Sed alij plerique contrarium sentiunt, vt videre est in Gl. margin. huius c. Gl. in Clem. 1. ver. requisierit, de hæreticis, ibi Zabarel. q. 18. Abb. n. 8. Felin. col. penult. argum. c. si Episcopus, 13. d. 18. iun. Gl. vbi generatim, quòd in citatione extraiudiciali, (imò etiam iudiciali, si citatus, v. g. cuius id interest, comparere non teneatur) vna citatio, seu vocatio sufficiat, dato tempore ad veniendum sufficiente. Sed limitari debet cum Dominico in c. si

e. si contra, 4. ver. Sed an sufficiat, hoc tit. in 6. Nisi iura trinam requisitionem expressè requirant, vt in c. 1. de suppl. negl. Prelatorum, ex quo textu generalem regulam hinc tradit Abb. & Imola, trina monitione opus esse, vt propter negligentiam Superioris, potestas procedendi ad inferiorem deuoluatur.

CAPITVLVM XXIII.

Cùm super.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Conuētum de Conchis, & Simonem, qui ex Abbacia eiectus erat, Rogerio in locum eius substituto. Quam causam Innoc. III. commisit Episcopo Lesionensi, & Abbati de Becco, adiecta clausula; Vt vno nolente aut non valente, alter solus procedat. Partibus in conspectu Iudicum constitutis, Rogerius qui intrusus in Abbaciam dicebatur, alterum Iudicem, vid. Episcopum recusauit, tribus de causis: I. Quia idem Episcopus cum Monasterio suo controuersiam habebat. II. Quia redeuntem se ex Curia Romana ad osculum pacis non admisit. III. Quia ipsimet Rogerio dixit, quòd ei in hac causa impedimento esse vellet, si posset; Et obtulit se coram altero Iudice, vel coram arbitris, quos partes elegerint, singula probaturum. Sed cùm Episcopus admittere hæc nollet, Rogerius appellauit. Sed duo isti Iudices interloquendo pronuntiarunt, appellationem friuolam, nec admittendam esse; atq; in causa principali procedentes desinuerunt, Simonem ad Abbaciam restituendum, ipsi Rogerio perpetuum silentium indicentes. Hoc intellecto processu, idem Innocent. III. ita rescripsit: Tametsi Abbas de Conchis absque Episcopo, qui recusatus erat, solus procedere potuisset, antequam appellatum fuit, postea verò quàm cum dicto Episcopo, tanquam coiudice interlocutus est, appellationem illam non valuisse, ex eo tempore nec solus, nec cum socio pro-

cedere potuit. Non solus, quia admittendo alterum vt Coiudicem, confessus est, se nec velle, nec posse Apostolicæ Sedis commissionem solus exequi. Sed neque cum Episcopo, licet voluerit, procedere potuit, quippe cùm is post legitimas excusationes, & appellationem cõtra ipsum, iudicandi potestatem non habuerit. Sequitur itaque, quòd acta eorum duorum delegatorum iudicum, omnimodè irrita sint. Hic est casus huius c. secundum integram eius lectionem ex Bern. vt Gl. magna testatur.

SUMMARIUM.

1. Non tantum partes contententes, sed etiam tertius, cuius interest, recusare iudicem potest.
2. Sunt autem tres causa iudicem recusandi. 1. Si litem quis habeat cum iudice. 2. Si iudex signum benevolentia, quod aliis eiusdem status & conditionis exhibere solet, sibi deneger. 3. Si iudex minas intenter.
3. Vno ex delegatis recusato; alter solus procedere potest.
4. Vi actus sit legitimus & validus, duo copulatiue requiruntur: Agendi potestas & voluntas.
5. Qui actum liberè exercet, censetur confiteri pertinentia & consecutiua ad illum.
6. Non valet actus eo modo, quo potest valere, nisi ad id se intentio operantis, saltem implicita & interpretatiua extendat.
7. Iudex delegatus dubitans de potestate socij, aut eum repellere non valens, protestetur, quòd velit sententiam valere, vt laram à se solo, si non valeat, vt laram à duobus coniunctim; si autem non protestetur, & sententia collectiue feratur, presumpcio est contra ipsum, quòd nolit solus iudicare, maxime si putet eum priuatum non esse.

NOTANDVM I. Non tantum partes ipsæ contententes, sed etiam tertius, cuius interest

Kkkk 2

inter-

interest, excipere potest contra Iudicem, eumque ut suspectum recusare. Nam Simon controuersiam mouit Conuentui, à quo Abbatia deiectus erat, postulans se restitui: Sed quia Rogerij substituti causa per accidens agebatur, ideo comparens alterum ex Iudicibus recusauit. Ita notauit Butrio hic & Abb. n. 2. Barbat. col. 1. & sumitur etiam ex c. cum super, 17. de sent. & re iudicata.

2. Porro ex textu isto iun. Gl. tres causas Iudicem recusandi colligit Abb. n. 3. Barbat. col. 2. Felinus n. 3. Prima. Si litem seu controuersiam iudicalem cum Iudice habeas. Nam animi partium contendentium plerumque aduersus se mutuo exasperantur: quare qui tecum in iudicio contendit, aduersarius tuus dicitur, cap. 1. de iudic. Secunda. Si Iudex signum beneuolentiæ, quod alijs eiusdem conditionis, & status hominibus exhibere solet, tibi deneger, ea res offensionem, aut inimicitiam præ se fert, iuxta ea quæ docui lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 2. Tertia. Si Iudex tibi minetur, si occasio se offerat nocendi, aut vindicandi, se eà contra te usurum.

3. NOTANDVM II. Si vnus ex delegatis Iudicibus ut suspectus recusetur, & causa suspitionis probabilis videatur (quod iudicare ad alterum non suspectum pertinet, c. si contra 4. eod. in 6.) tum ille solus procedere potest, ob clausulam, *si non ambo potestis*. Ita notat hic Imola n. 4. Barbat. col. 3.

4. NOTANDVM III. Ut actus legitimus ac validus sit, duo copulatiue requiruntur: Agendi potestas, & voluntas. Consequenter, si quod potes agere, nolis, & quod vis agere, non possis, nullus sequetur effectus. Ita Abb. hic n. 8. Barbat. col. 4.

NOTANDVM IV. Confessio non tantum ore fit, sed etiam facto, iuxta c. nullus, 4. de præsumpt. Ad eò, ut qui actum liberè exercet, censeatur confiteri, quæ pertinent, aut consecutiuæ sunt ad actum, secundum doctrinam Innoc. in c. cum venerabilis, n. 3. & 4. de except. Quemadmodum qui instrumentum coram Iudice producit, censeatur confiteri omnia, quæ continentur in eo: cum non possit vnā partem recipere, & alteram reij-

cere, sicuti tradit Innoc. loco cit. & in c. cum olim, n. 5. de censib. Abb. hic num. 7.

Contra resp. Innoc. in hoc c. obijcitur cum Gl. ver. mutuo aduersantibus. In l. 1. §. 1. ff. Quod falso tutore, & c. respondit Iureconf. Si duo tutores auctoritatem præstent pupillo v. g. contrahenti, verus & falsus, valere quod agitur, ex persona veri tutoris, licet non valeat ex persona falsi. Ergo simili ratione, si sint duo Iudices delegati, quorum vnus potestatem retinet, alter priuatus est: eorum sententia valebit ex parte habentis potestatem. Ratio reddi potest: quia censeatur esse voluntas agentis, ut si actus valere non potest, sicuti agitur, valere tamen debeat, sicuti potest, arg. c. vn. Idem quoque de despon. impuber. in 6. vbi dicitur, Si impuberes matrimonium contrahant, quod facere non possunt, valere eorum contractum ut sponfalia, que celebrare possunt. Respondeo, Regulam illam, si non valet, quod ago, valeat sicuti valere potest, in præsumptione voluntatis fundari. Quæ præsumptio in cit. c. vn. ex iure adiuuatur, in matrimonij fauorem. Alioquin ad alias circumstantias & coniecturas in dubio confugiendum, quæ in vtramq; partem variæ esse possunt. Quæ de re dixi aliquid lib. 3. tr. 5. c. 8. n. 4. Id verò certum est, si appareat, nõ valde aliquem agere alio modo, nisi eo, quo non potest, nihil effici. Quare neque impuberum contractus subsistet, si exprimant, vel ex coniecturis appareat, noluisse eos aliter contrahere, nisi ut matrimonium inter eos ratum sit. Quia actus humani extendi non possunt ultra eorum intentionem, saltem implicitam, aut interpretatiuam, l. nõ omnis, 19. in princ. ff. de rebus creditis. Sed neq; tutor auctoritatè validè interponet, si nolit valere negotium nisi per vtriusque auctoritatem. Ceterum talis intentio in tutore non præsumitur, cum ex iuris communis dispositione habeat potestatem in solidum, seu sine altero auctoritatem interponendi, l. vlt. C. de auctorit. præstanda.

At verò in pposito casu cõstabat, quòd Abbas noluerit causam definire, ut solus, sed vnà cù sociis, seu coiudice. Quare rectissimè insert

Inno.

Innoc. acta eius irrita esse, quia quomodo potuit procedere, videl. solus noluit, eo autem modo, quo voluit procedere, videl. cū socio, nō potuit. Quare ita argumentari licet: Non valet actus eo modo, quo valere potest, nisi ad id se intentio operantis saltē implicite aut interpretatiuē extendat. Sed intentio Abbatis nequaquam fuit, vt in causa illa procederet solus: Quia interlocutoriē pronuntiauit, Cōiudicem suum immeritō recusatum esse, atque iudicandi potestatem retinere, ideōq; sine ipso se procedere non posse: Consequenter noluit aliter procedere. Ita bene notat hic Decius col. 3.

7 Corollarium. Iudex delegatus dubitans de potestate socij, vel eum repellere non valens, protestari potest, si non valeat sententia vt lata à duobus coniunctim, quōd valere debeat vt lata à se solo, vt singulariter hic notat Abb. n. 10. & sequitur Barbat. col. 7. Sin verò nihil protestatur, & sententia nomine collectiō feratur. *Nos condemnamus &c.* præsumptio est contra illum, quōd nolit solus iudicare. præsertim si existimet, eum priuatum non esse, argum. l. qui in aliena, 6. §. Si is qui, ff. de acquir. hered. Qua simili ratione, si duotantum sint Capitulares, quorum vnus suspensus, vel inhabilis, & nomine amborum, seu collectiue decretum electionis sine protestatione formetur, *Nos eligimus*, puto irritā fore electionem: Alia verò ratio est, si plures electores sint, & vnus eorū suspensus, vel inhabilis: tum valebit decretum Capitulare cōparatione plurium. Quia locus est regulæ, reg. 37. in 6. Quōd inutile accedēs vtili illud vitare non debeat, vt notat Abb. n. 11.

CAPITVLVM XXIV.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Quæsitum erat ex Innoc. III. Si partes ad testium depositiones, aut earundē publicationes, vel sententiam definitiuam, peremptoriē citatæ sunt ad diem definitum, & altera ad vesperam diei non aduenerit, vt r̄m eadem die Iudex in negotio pro-

cedere debeat, vel differre in diem sequentem. Deinde, si vsque in sequentem diem expectatum sit, vt r̄m contumax iterum citari debeat, eō quōd in die partibus designata processum non fuerit. Ad hoc respondit Papa: Si Iudicis delegati iurisdicctio die illo, ad quem partes citatæ sunt, non finiatur, secundū æquitatem expectandum erit in diem alterum: tum verò necesse non est, contumacem iterum citari; nisi gratiam ei Iudex facere velit. Sin autem potestas Iudicis vltra eum diem non extendatur, tum expectandum non est in diem sequentem, ne iudicialis potestas frustranea sit. Cauendum quoque, ne iudicium Ecclesiasticum ad noctem differatur: Tamen si enim secundū morem Romanum, dies (naturalis) à media nocte incipiat, & sequentis noctis media parte finiatur, ita vt quod etiam in dimidiatis noctibus actum est, perinde sit, ac si quauis hora lucis actum esset, l. more 8. ff. de ferijs; tamen quod attinet ad iudicia, congruum nō videtur, vt ea de nocte exerceantur. Porro Iudex discretus, quando partes peremptoriē citat, non debet terminum nimis coarctare; nisi necessitas cogat.

SUMMARIUM.

1. Iudex citans partem ad certum diem, si in eo non compareat, expectare potest ad diem sequentem; non tamen tenetur, sed etiam absente parte procedere potest ad definitiuam sententiam contra contumacem.
2. Tenetur autem pars altera, que præsens est, expectare, si sequenti die iudicis iurisdicctio non expirat; expensæ tamen maiores resarciri debent, si propterea maiores factæ essent.
3. Omnia negotia, v. g. contractus, transactiones, beneficiorum collationes, &c. ordinariē de nocte geri possunt, nisi ius scriptum aut consuetudinarium repugnet.
4. Iudex malè agit, de nocte iudicium instituen-

Kkkk 3

situendo: si tamen partes nihil excipiant, acta valent.

NOTANDVM I. Iudex peremptorie citans partem ad certum diem, si in eo non compareat, expectare potest ad diem sequentem: Sed secundum iuris rigorem, expectare non tenetur; sed etiam absente ad definitivam sententiam procedere potest contra contumacem. Ratio prioris partis est. Quia secundum benignitatem tota dies parti citatae tribui potest ad cooperandum: consequenter iudicium differri in diem sequentem. Veruntamen si partibus presentibus ad diem constitutam Iudex non procedat, quia v. g. impeditus est, tum noua citatione opus erit, vti hic notant Abb. n. 4. Decius col. 2. Barbat. col. 6. Ratio posterioris est: Cum enim congruum non sit iudicia de nocte peragi, ideo pars citata ad certum diem, mature se sistere debet. Quare si in citatione ad certam diem, hora expressa non sit, ea intelligi debet secundum qualitatem peragendi negotij: Vt si Canonici citentur ad electionem faciendam xxiv. die Augusti, mane adesse debent: quia eo tempore electio peragi solet post decantatum officium de S. Spiritu. Et simili ratione, inquit Innocent. in c. cum nobis, de elect. n. 5. Abb. hic n. 5. Decius n. 4. Barbat. col. 6. Si Iudex consuetudinem habet certa diei parte, v. g. post meridiem iudicare, citatus ad certum diem eo tempore adesse debet.

Hinc inferunt idem Abb. & Decius, n. 2. Quod expediat parti contendenti, si Iudicem benignum ac sibi fauentem habeat, praesertim in istis arbitrarijs. Quare male agere ait Procuratores & Aduocatos, si Iudicem verbis exasperent.

Secundo infert idem Abb. n. 7. & 8. Cum Iudici hoc casu a iure concessum sit in diem sequentem iudicium prorogare, quod pars altera, quae praesens est, expectare teneatur: aded, vt si absq. Iudicis licentia discedat, tanquam contumax puniri possit. Neque obijci potest, talem termini productionem cedere in prauiudicium alterius partis, quae praesens est. Quia huius modici prauiudicij ratio habenda non est, l. si debitori, 21. ff. de iudi-

cij. Sed aequum videtur, vt experia referantur, si propterea maiores fieri debeant, vti Gl. hic obseruat ver. gratiam fecerit, & sequitur Abb. n. 9.

NOTANDVM II. Si negotium speciali ratione non requirat, vt lucis tempore fiat, recte dicitur factum die x. Aprilis, dummodo ante medium noctis fiat. Et ordinarie, inquit Decius hic col. 4. omnia negotia de nocte geri possunt, nisi ius scriptum, aut consuetudinarium repugnet, sic v. g. contractus, transactiones, testamenta, beneficiorum collationes nocte institui non prohibentur, vti Decius loco cit. exemplificat. Sed numquid iudicarius processus irritus censeri debet, si de nocte adhibitis sufficientibus luminaribus institutus sit? Respond. Partes opponere se possunt, ne iudicium de nocte instituat. Sin autem nihil excipiant, adeoque tacite consentiant, licet male agat Iudex, si seclusa necessitate, de nocte iudicarium processum peragat, tamen acta valere videntur: cum nullo iure irrita esse legamus. Multa enim fieri prohibentur, quae tamen si facta sint, subsistunt, c. ad Apostolicana, 16. de regul. & monet hic Gl. ver. tenebras, & Hostiensis apud Barbat. in hoc c. post medium, contra Innoc. hic n. 5.

CAPITVLVM XXV.

Insinuante.

PARAPHRASIS.

Robertus controuersiam habebat cum Thoma de iure parochiali: Eam Innoc. III. commiserat Episcopo Vigoriensi, eiusdem Officiali, & tertio cuidam, hac formula, vt si non omnes possent, Episcopus cum eorum altero cognosceret. Accidit autem, vt lite iam contestata, ante definitivam sententiam Episcopus Robertum in familiarem suum ascisceret, ex quo etiam dicti Officialis familiaris effectus est: ita vt vterque tanquam suspectus a Thoma recusari potuerit. Quamobrem is intelli-

gens

gens, quod tertius Iudex sine Episcopo, iuxta formam rescripti Apostolici, procedere non posset, alios Iudices sibi dari postulavit; cuiusque petitioni Papa assensus est, ideoque scripsit ad quendam Abbatem, ac Priorem, si ita est, ut ipsi narratum fuit, & Thomas, postquam aduersarius eius Episcopi familiaris factus est, in eundem Iudicem non consensit, ipsi in causa secundum prioris rescripti tenorem procedant; alioquin partes ad priores Iudices reuertantur.

SUMMARIUM.

1. Si vnus litigantium factus est familiaris seu domesticus Iudicis, hic ut suspectus recusari potest, nisi alia adsint, quae suspicionem excludant.
2. Facilius est recusari Iudicem, ut suspectum, quam testem.
3. Pars litigans non tantum in causa propria, sed etiam in causa ecclesiae potest recusare Iudicem, eo quod sit dominus, vel consanguineus aduersae partis.

NOTANDVM I. Si vnus litigantium post litem contestatam factus est familiaris seu domesticus Iudicis, is ut suspectus recusari potest. Excipe: Nisi considerata persona Iudicis, & circumstantijs reliquis, appareat, sinistrae suspicioni locum non esse. Ita Barbat. hic col. 1. & consentiunt, quae dixi in c. causam, 17. hoc tit.

NOTANDVM II. Si Episcopus tanquam suspectus recusari possit, consequenter etiam Officialis eius, propter affectionem, quam erga Episcopum gerit, & causas & acta eius defendenda. Ita Abb. hic n. 2. Barbat. col. 2. Imo ait Gl. hic ver. familiarem, quam Barbat. col. 3. & alij sequuntur. Si dominus suspectus sit, totam eius familiam recusari potest: Et simili ratione si Iudex inimicus domini tui sit, potes eum ut suspectum recusare; quia videtur etiam te odisse, ut Abb. hic docet n. 6. argum. l. vn. C. Si quacunq; praeditus potestate &c. Veruntamen, ut supra dictum, eiusmodi suspicio contrarijs maiori-

bus coniecturis seu praescriptionibus superari & elidi potest, ut notat etiam Gl. hic ver. familiarem, & alia Gl. in c. cum H. 35. quam ibi commendat Abb. n. 4. Felinus n. 4. eod. tit. facilius recusari Iudicem, ut suspectum quam testem, cum etiam frater contra fratrem testari possit, c. literas, de praesumpt. Cuius rei rationem afferunt ex necessitate: Quia plures plerumque Iudices haberi possunt; sed non testes. Addi potest, quod testes a Iudice examinentur, ut appareat, num vera dicant; sed Iudex in iudicio non habet, a quo examinatur: ut proinde ipsi facilius sit iniuriam inferre, quam testis. Vide Barbat. hic col. 4.

NOTANDVM III. Pars litigans non tantum in causa propria, sed etiam in causa Ecclesiae recusare potest Iudicem, eo quod sit dominus, vel consanguineus aduersarij. Ita Abb. hic n. 3. Imola n. 8. Neque obstat, quod aliquis in causa Ecclesiae suae Iudex esse potest, secundum Gl. in c. 1. ver. punire, de poenis, in 6. Ergo multo magis consanguineus, vel Dominus Rectoris ecclesiae in causa eiusdem ecclesiae Iudex esse potest. Recte enim respondet Abb. posse esse Iudicem, & valere eius sententiam, nisi ut suspectus repellatur.

CAPITVLVM XXVI.

Quarenti.

PARAPHRASIS.

Dubitatum erat, si delegatus Papae aliquem excommunicarit, eo quod sententiae a se latae parere noluerit, vtrum eum, si postea parere velit, absolueret possit. Aliqui respondebant, quod absolueret eum non possit, cum officio functus sit: Alij vero, quod semper absolueret possit, cum iurisdictionem non amittat; donec sententiae eius pareat. Sed Innocent. III. ita secundum aequitatem decernit; Quod delegatus Papae non tantum tempore quadrimestri, quod Reo ad soluendum debito a Iudice concessum est, sed integro anno post

post latam à se sententiam iurisdictionem retineat ad eius executionem. Qua simili ratione si ob contumaciam Rei ante litis contestationem Actor in possessionem missus sit causa custodiæ, annus conceditur contumaci, intra quem si appareat, possessionem recuperare possit; sed postea non restituitur, licet de proprietatis iure audiendus sit, c. quoniam, 5. §. in alijs, Vt lite non contestata &c.

S V M M A R I V M.

1. *Iudex delegatus habet iurisdictionem, & eam distinctam à iurisdictione delegantis.*
2. *Condemnato actione personali ad soluendum quatuor menses conceduntur; in realibus autem actionibus sententia, ubi in rem iudicatam transit, executioni mandari debet; in criminalibus statim executio, nec appellacionis remedium admittitur in Imperio.*
3. *Iudex delegatus integrum annum habet ad executionem sententia à se late.*

NOTANDVM I. Iudex delegatus habet iurisdictionem, eamq; distinctam à iurisdictione delegantis. Ita hic notant Abb. n. 2. Barbat. col. 2. & alij, & dixi supra contra quosdam, qui in l. ait Prætor, 5. ff. de re iudicata, aiunt, quòd Iudex delegatus iurisdictionem non habet, sed duntaxat cognitionem, seu notionem.

NOTANDVM II. Condemnato actione personali ad soluendum quatuor menses hodie cõceduntur, c. quod ad consultationem, 15. de re iudic. l. 2. & 3. C. de vfuris rei iudicatz. Et numeratur hoc tempus à die late sententiæ, vel si ab ea appellatum sit, à die confirmationis prioris sententiæ, cit. l. 2. Cæterum in arbitrio Iudicis est, tempus hoc à lege concessum ex causa iusta arctare, vel prorogare, iuxta cit. c. quod ad consultationem. & l. 2. ff. de re iudic. & videri potest Barbatia hic col. 5. In realibus autem actionibus, lata sententiâ, mox vt in rem iudicatam transit, (videl. post decendum, si appellatum non est) exe-

cutioni mandari debet: nisi possessor statim restituere non possit, tum designato illi termino sufficienter cauere debet de restitutione faciendâ, Instit. de off. Iudicis, ff. Ex lit. rem, & docet Gl. hic ver. quadrimestre tempus. Deniq; in criminali actione indulgeri nõ solet, sed statim executio fieri, l. cum reis, 18. C. de pœnis. Adeò, vt nec tempus decem dij, quod comuni iure ad appellandum conceditur, necessariò expectandum sit. Quam praxin vt non alienam à iure defendit Barbatia hic col. 8. contra Gl. in cit. l. cum reis, ver. iuris sententiam, Abb. hic n. 4. post Bartolum in l. qui vltimo, ff. de appellat. Verùm in Imperio criminaliter condemnatis appellacionis remedium non conceditur.

NOTANDVM III. Iudex delegatus integrum annum habet ad exequendam sententiam à se latam. Sed ad pleniorẽ doctrinam ita distinguendum cum Gl. hic, Abb. n. 7. Barbatia non longè à fine: Vel Iudex delegatus sententiam nondum tulit, & durat eius iurisdicctio semper; quia rescripta sunt perpetua, nisi reuocentur, c. si autem, 9. de rescript. vbi id dixi not. 1. Vel tulit sententiam, sed executus non est; & conceditur illi annus ad exequendum. Idq; intelligitur de anno continuo, qui continet dies 365. argum. l. cum hæres, 4. §. Stichus, ff. de statu liberorum, ex quo textu sumitur regula, quam hic tradit Abb. n. 3. Si in iure anni tempus definitum reperiat, in dubio accipiendum esse de continuo. Vel denique sententiam executus est, & iurisdicctio eius expirat, c. in literis, 9. hoc tit. dummodò sententiæ eius paritum sit: Sjn verò condemnatus paulò post ab executione recessit, iterum turbans victorem, perinde est, ac si non paruerit, argum. c. diuortium, 21. d. 1. de pœnit. Quare hoc casu delegatus reassumere potest iurisdictionem, non vt iterum de causa cognoscat, sed vt ad veram & stabilem executionem compellat, si annus nondum finitus sit, secundum doctrinam Gloss. hic ver. ad integrum annum.

Quærent hic, vtrum etiam delegatus ab inferiore Ordinario, vel subdelegatus à delegato Principis sententiam à se latam exe-

qui possit, videl. intra annum. Negat Imoia hic, in fine, post Bartol. l. à Diuo Pio, 15. ff. de re iudic. Sed Abb. hic n. 8. affirmat cum Gloss. in c. si quis contra. 4. de foro compet. Quia cum causa alicui absolute committitur, censentur omnia commissa, quæ ad eius executionem spectant. Quæres ibi plenius examinanda erit.

CAPITVLVM XXVII.

Super quæstionum.

PARAPHRASIS.

Delegatus Papæ audientiam causæ commisit Titio, cognitione ac sententia sibi reseruata. Titius citauit Reum, qui comparere noluit, quod sine consensu suo deputatus esset auditor. Et pro defensione sua allegauit quandam Innoc. III. Constitutionem, in qua continebatur; Si alicui à Papa causa, remota appellatione, delegata sit, quod ipse eam subdelegare non possit, adempto remedio appellationis. Verum si delegatus ad non iurisdictionale articulum aliquem v. g. ad testium examinationem meram deputauerit auditorem, quod ab eo nequeat appellari, si de partium consensu datus fuerit. Vnde ex sensu contrario colligi videbatur, si de consensu partium datus non sit (vt in casu proposito) quod ab eo appellari possit. Per hanc suam constit. in primis ait Innoc. nequaquam derogari constitut. Alex. III. in c. cum te, 18. hoc tit. Nam Alexander locutus est in casu, quo delegatus Apostolicæ Sedis cognitionem alicuius articuli, seu articulum iurisdictionalem alteri, sententiâ sibi reseruata, subdelegauerit: quod per appellationem à subdelegato subdelegantis iurisdictione nequaquam suspendatur. Innoc. autem locutus est in casu, quo non causæ cognitio, sed nudum ministerium circa aliquem articulum, seu articulum non iurisdictionalis alicui à delega-

to Papæ, aut quocunq; alio Iudice committitur, quod ab eo appellari non possit, nisi formam mandati excedat, vel vt suspectus recusetur, dummodò hoc casu non sit datus ex consensu partium.

SUMMARIUM.

1. Delegatus Papa potest principium, medium, & finem totius causæ coniunctim & diuisim subdelegare. quo casu à subdelegatis appellari potest.
2. Sin medium tantum causæ, v. g. testium depositiones alicui vt mero auditori committantur sine iurisdictione. ab eo nequit appellari; nisi si nes mandati excedat, vel merito suspectus sit.
3. A subdelegato in totam causam appellari debet ad Papam; à subdelegato autem non in totum, ad subdelegantem.
4. Auditor datus à delegato recusari non potest à partibus, nisi causa iustâ coram delegato ostensâ.
5. Nemo præter Principem causam committere potest, remoto appellationis remedio.
6. Appellari ab Auditore non potest; recusari tamen potest, vt suspectus.
7. Delegatus ab inferiore ordinario, v. g. ab Episcopo, subdelegare non potest.
8. Potest tamen is, cui vniuersitas causarum commissa est, vnâ aut plures causas alteri committere, non tamen totam vniuersalitatem causarum.
9. Facultas delegata Parocho v. g. absoluendi à casibus referuntis ab Episcopo, si ei ratione officij competat, transit ad successorem, & in certis casibus subdelegari poterit; non item, si ea competat vt privilegium personale, & propter industriam, vel singularem eius fauorem.
10. Inferior Principe non potest committere suo delegato, vt suo nomine subdeleget, potest tamen ei concedi, vt subdeleget nomine ipsius ordinarij delegantis.

LIII Quo

Quo casu appellabitur non ad delegatum, sed ad primum delegantem.

11. *Delegatus à non Principe alteri causam, vel articulum cause iurisdictionalem subdelegare nequit; potest tamen articulum non iurisdictionalem.*
12. *Si unus ex duobus à Principe, remota appellatione, delegatis, v. g. Filius Caii cōdelegato vices suas committat, Caius non potest alteri causam delegare.*
13. *Neque potest procedere, remoto appellationis remedio.*
14. *Et si ab eo appellatur, ad primum delegantem appellari debet.*

I Innoc. III. non negavit à subdelegato appellari posse, si principium litis, videl. litis contestatio, vel finis litis, videl. sententia definitiua, aut tota causa ei commissa sit: Enimuerò indubitatum esse debet, quòd Papæ delegatus non tantum totam causam, sed etiam partès singulas causæ diuisim subdelegare possit: nihil obstante quòd dicitur, Iudicem, antequam sententiam ferat, debere per se ipsam cognoscere & principium, & medium, & finem litis: Nihilominus enim, si sententiam sibi seruauit delegatus, omnia quæ à subdelegatis acta sunt, diligenter inuestigare, & perpendere debet.

§. Verùm.

Si delegatus Papæ causam totam vel partem eius alteri vt Iudici subdeleget, ab eo appellari potest. Sin autem medium causæ v. g. testium depositiones alicui vt mero auditori committat, ab eo appellari nequit: nisi fines mandati excedat, vel meritò suspèctus sit. Quare ne recusari possit, consultum est, vt ex partium consensu deputetur.

§. Porrò.

In casu, quo delegatus Papæ alteri tantquam Iudici subdelegat, distinguendum est, vt rùm totam causam committat: tum non ad ipsum, sed ad Papam appellari debet. An verò non totam, sed sententia ipsi subde-

leganti referuata sit, tum ad subdelegantem appellabitur. Atque simili ratione si ab auditore in casu, quo id licitum est, appelletur, ad delegatum prouocari debet. Et bene monet Gl. hic, hæc locum etiam habere, tametsi delegato Principis causa commissa sit, appellationis remedio non sublato.

§. Quem verò.

Auditor à delegato deputatus recusari non potest à partibus, nisi coram eodè delegato causam recusationis iustam ostendant.

NOTANDVM I. Iura iuribus consentire, & quantum fieri potest, conciliari debent; exponendo, & interdum per alia iura supplendo; cum non omnia eadem lege, aut canone contineri, & explicari possint. Ita sumitur ex c. cum expediat, 29. de elect. & l. non est nouum, 26. l. sed & posteriores, 28. ff. de legibus.

NOTANDVM II. Nemo, præter Principem, causam committere potest, remoto appellationis remedio.

NOTANDVM III. Delegatus Principis potest vel totam causam alteri delegare, vel aliquam eius partem. Sed si deleget partem, tum distinguitur, an sit articulus iurisdictionalis, v. g. litis contestatio, receptio testium, & articulorum, de quibus examinandi sunt testes; vel non est articulus iurisdictionalis; ita vt nudum ministerium v. g. testes examinandi, eorumque depositiones annotandi, committatur. Discrimen est, quòd in priore casu commissarius censetur esse Iudex subdelegatus; in posteriore non est Iudex, sed merus auditor, & quodammodo executor.

QVÆRITVR hic primò: Vt rùm ab auditore appellari possit ad Iudicem delegantem? Respondeo & Dico I. Appellari ab eo non potest, tantquam à Iudice, cum Iudex non sit. Sed locus est appellationi extraiudiciali, si indebitè grauet, aut limites commissionis suæ excedat, sicuti etiam de mero executore dicitur in c. nouit, 43. de appellat.

Dico I I. Si datus auditor meritò suspen-

sus

Etus sit, tum à partibus recusari potest, atque ad Iudicem prouocari, à quo deputatus fuit. Quare, ne recusari possit, consultum est, vt auditor (v.g. testium in partibus remotis) non detur, nisi ex consensu partium. Ita hic Innocent. §. verum. Cæterum an merus sententiæ latæ executor, tanquam suspectus recusari possit, dicitur in cit. c. licet.

QUÆRITUR secundò: Vtrum delegatus ab inferiore Ordinario, v.g. ab Episcopo subdelegare, seu causam sibi commissam alteri delegare possit. Responso est negatiua ex l. more, §. ff. de iudicijs, l. à Iudice, §. C. de iudicijs, c. cum causam, 62. de appell. ex quibus iuris regula generalis traditur, quod delegatus ab alio, quàm à Principe, subdelegare non possit. Ratio est: Quia delegatus non plus iuris habet, quàm ipsi mandatum est: est autem ipsi mandata tantum iurisdictio, siue vt iurisdictioem exerceat: Ergo non potest alteri committere; cum à diuersis non fiat illatio. Confirmatur: Quia ne quilibet onus sibi mandatum in alium conijcere possit, rectè prouisum est, vt Iudex delegatus per se causam cognoscere debeat: excepto Principis delegato, cui id subdelegandi priuilegium ipso iure concessum est.

Aliæ exceptiones sunt, quas breuiter discutiam: Prima est, quod delegatus Proconsulis subdelegare possit, secundum Baldum, cit. l. à Iudice, Gloss. ibid. ver. Sed est contra, in l. solut. argum. l. legatus, 12. ff. de offic. Proconsul. Ex quo inferunt cum eod. Baldo, quod delegatus à Legato à latere subdelegare possit: quia Legatus à latere, dum in provincia est, Proconsuli comparatur, c. 2. de offic. Legati, in 6. Sed præstat, vt dicamus cum Gl. in cit. l. legatus, fol. 3. Felino in c. 3. col. 1. Decio ibid. n. 5. hoc tit. Quod Legatus Proconsulis ideo vnâ, vel alteram causam subdelegare possit, quia est delegatus ad vniuersitatem causarum: Sin autem seu à Proconsule, seu à Legato à latere vna causa commissa sit, is eam subdelegare haud potest.

Secunda: Cui causarum vniuersitas delegata est, is vnâ aut plures causas in parti-

culari alteri committere potest: quia censetur veluti ordinariam iurisdictionem habere. Ita sumitur ex l. 1. §. ab eo, ff. Si quis, & à quo &c. & docet Gl. communiter recepta in l. Legatus, 12. ver. fol. 3. ff. de officio Proconsulis, Gl. in cit. c. cum causam, 62. ver. delegatus, in fine, de appellat. & alij D. D. apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 31. n. 2. Sed totam vniuersitatem causarum alteri committere non potest: quia id vniuersim verum est, quod officium sibi commissum vnus in alterum conijcere non potest, absque iuris vel Principis licentia.

Dicitur autem aliquis delegatus ad vniuersitatem causarum, si non vna, vel plures particulares, sed omnes, saltem in aliquo genere, v.g. decimarum, matrimonij, mutui alicui commissæ sint; quamuis restrictio fiat ad certum locum, aut tempus, v.g. intra hoc territorium, ad vnum annum omnes controverfias decimales cognoscas, & definias. Si tamen causæ restringantur ad personas certas & particulares, v.g. controverfias, quæ sunt inter Titium & Caium iudicialiter dirimas, potius particularis, quàm generalis delegatio esse videtur, vt ex Baldo in l. à Iudice, n. 4. C. de iudicijs, & aliorum ferè communi docet Sanchez cit. disp. 31. n. 4.

Corollarium. Si Guardiano v.g. à Prouinciali, aut Generali suo, aut Parocho ab Episcopo suo delegata sit facultas absoluendi à casibus referuatis, distinguendū est, vtrum ei facultas hæc cõpetat ratione dignitatis & officij sui, ita vt sit veluti ordinaria, & ad successorem transeat, tum alteri in certis casibus delegare poterit, iuxta c. vlt. iun. Gl. ver. casibus, de offic. ordinar. & annotauit Nau. c. 27. man. n. 45. An verò ipsi concessa sit talis facultas vt priuilegium personale, propter industriam eius, vel specialem erga ipsam fauorem, tum alteri subdelegare non potest; cum sit ius specialiter concessum personæ, sicuti etiam docui lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 12, in fine. Hæc etiam causa est, quod Cooperatorum Parochorum, quibus delegata est facultas absoluendi à peccatis, alteri Sacerdoti absolutionem committere non possint

sint absque speciali consensu Ordinarij, propterea quod illis facultas absoluedi non ratione officij, sed merè delegato seu commissio iure competat. Idemque eadem ratione dicendum est de facultate assistendi matrimonijs, tamen si ea à Parocho generaliter delegata sit Cooperatori, quod sine expressa aut tacita licentia Parochi, seu Ordinarij alteri Sacerdoti, etiam in speciali casu, committere non possit, licet contrarium senserit Sanchez cit. disp. 31. n. 21. Sed quod dixi, probatur ex Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. Ratio autem est: Quia delegatus ad vniuersitatem causarum non potest subdelegare, nisi ratione eius delegationis sibi factæ censeatur officium veluti ordinarium habere. Quod de Cooperatoribus operam suam veluti locantibus Parocho presentibus dici non potest. Accidit, quod facultas illa subdelegandi, quæ delegatis ad vniuersitatem causarum competere dicitur, ex iure vel consuetudine vim iuris habente provenire debet. Non est autem consuetudo in ecclesijs, vt Cooperatores Parochorum sine eorum presentium consensu alicui committant eiusmodi potestatem.

Tertia limitatio est Gl. in c. is cui, 12. ver. per alium, eod. tit. in 6. Bartol. in l. more, 5. ff. de iuris. Abb. in c. cum causam, 62. n. 4. de appellat. Syl. ver. delegatus, q. 8. dicto 3. & aliorum apud Sanchez cit. disp. 31. n. 6. Quod delegatus ab inferiore ordinario subdelegare possit, si ipsi id concessum fuerit. Contrarium verò docet Archidiaconus, in e. quamuis, eod. tit. in 6. Cardinal. Zabarella in Clem. 1. hoc tit. q. 12. Quia Iudicem dandi potestas nemini competere debet, nisi id à lege vel Principe cõcessum sit: siquidem iurisdictionem à superioribus ad inferiores gradatim descendere oportet. At qui leges, & Principes nõ nisi ordinarijs, & à se delegatis Iudicibus facultatem tribuunt Iudices constituendi, l. more, 5. ff. de iuris. dict. l. à Iudice, C. de iudicijs, & cit. c. cum causam: Ergo delegatis à non Principe talis facultas competere non potest. Hæc sententia non inani fundamento niti-

tur: Sed quia prior in praxi recepta est, vt testatur Gl. margin. in cit. c. is cui, quod frequenter Episcopi causam committant cum clausula, *per te, vel per alium*, ideo præstat, vt dicamus cum Dominico in cit. c. is cui, in fine. Felino in hoc c. 9. Si verò, n. 18. Licet inferior Principe committere non possit delegato suo, vt suo nomine subdeleget: posse tamen ipsi facultatem dare, vt subdeleget nomine ipsius ordinarij delegantis: Vt proinde tertius non accipiat iurisdictionem à secundo, sed à primo: quamobrem ab illo nunquam appellabitur ad secundum, seu ad delegatum, sed ad primum delegantem, vt bene colligit Zabarella loc. cit. & docet Abb. in c. cum Bertoldus, n. vlt. de re iudic. Felinus in hoc c. 9. Porro, n. 12. Atque hæc doctrina, & praxis probari potest ex l. vnum ex familia, 61. §. Si de Falcidia, ff. de Legat. 2. vbi habetur, si hæres iussus sit eligere vnum ex familia Titij, quem ipse voluerit, ad legatum fundum capiendum, legatarium nõ ab hærede, sed à testatore beneficium capere. Item ex l. non distinguemus, 32. §. Quæsitum, ff. de receptis qui arbitrium, vbi dicitur, quod arbiter arbitrium, vel partem eius alteri delegare non possit, ne in infinitum abeat, & vix vnquam arbitrium dicatur, si vnus alteri committere velit: posse tamen alterum ex partium cõsensu, seu compromisso alterum statuere, seu designare, per quem arbitrium dicatur. Simili itaq; ratione Episcopus v. g. delegare potest causam Titio, adiecta facultate, si per se cognoscere nolit, vt aliam idoneam personam designare possit, per quã cognoscatur, seu tota, seu pars eius.

Neque obstat huic doctrinæ, quod obicit Zabarella cit. q. 12. Quod Iudex certus, non incertus delegari debeat, argum. c. ad hæc, 10. de rescriptis. Respondetur enim cum Felino cit. §. Si verò, n. 13. ad 2. Iudicem certum fieri per designationem delegati: nam per eam designationem, tanquam conditionem cum qua & sine qua non, cõferatur illi iurdictio à primo delegante. Quamobrem consultum est addere in commissione: *Committotibi hanc causam exercendam per*

te, vel per alium, quem ad id elegeris, cui ex tunc potestatem cognoscendi committo. Ad e. ad hanc respondetur, ibi solum cauere, ne optio seu electio Iudicis delegati vni partium committatur.

Corollarium. Tamen si Cooperatores Parochorum alteri facultatem confessiones audiendi committere non possint; quandoquidem absoluendi potestas ipsis commissæ est, non item potestas delegandi, vti bene notauit Suarez p. 3. t. 4. disp. 26. sect. 1. n. 4. tamen nihil obstat, quin Parochus Cooperatori suo mandare possit, si v. g. in hac Ecclesia sua, ad quam ipsum mittit, confitentium copia requiratur, vt quemcumque approbatum sacerdotem nomine ipsius Parochi constituat ad confessiones ibi excipiendas, vti etiam dixi lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 14. Eandemque potestatem dare poterunt Vicarij, quibus loco absentis Parochi cura totius Parochiæ commissæ est, de quibus dixi supra, & videri potest Taberna ver. absolutio, l. §. 14. in fine. & ver. excommunic. 5. casu 15. n. 4.

11 Quartò limitatur. Licet delegatus à non Principe alteri causam, vel articulum causæ iurisdictionalem subdelegare nequeat, potest tamen committere articulum non iurisdictionalem, constituendo v. g. aliquem merum auditorem, seu examinatore[m] testium. Ita habetur in hoc c. ver. Nos autem, vbi significatur, quod non tantum Papæ delegatus, sed quicumque Iudex auditor, vel executorem ad aliquem causæ articulum constituit. Dicitur autem articulus iurisdictionalis, qui causæ cognitionem continet, ideòque iudicis personam requirit: articulus verò non iurisdictionalis, qui non causæ cognitionem, sed nudum ministerium, vel executionem aliquam habet, ideòque etiam in alia, quam Iudicis persona fundari potest, secundum doctrinam Gl. communiter receptam in Clem. vn. ver. Iudices, hoc tit. vbi exemplum affert: Si testes recepti sint, atque iurati, & articuli, super quibus producuntur examinati, & interrogatoria formata, tum ipsa testium examinatio & auditio, cum nudum ministerium contineant, adeò vt etiã

festo die exerceri possit, à quolibet seu ordinario seu delegato Iudice committi potest. Qua dere Abb. hic n. 9. Sed ipsam testium receptionem, cum nondum approbati sunt, nec interrogatoria formata, non potest Iudex alteri committere, nisi sit ordinarius, vel à Principe delegatus, quia continent articulum iurisdictionalem, vti colligitur ex cit. Clem. vn.

Corollaria. Ex his defendi potest, quod docuit Viualdus in Appendice Candelabri c. 14. n. 40. Licet Regulares v. g. qui ex Pontificio priuilegio dispensare vel commutare possunt vota, alteri committere, seu subdelegare non possint, quia eiusmodi facultates dispensandi, aut absoluendi non habent ratione officij, aut quasi ordinariam, sed iure speciali: posse tamen eos, si causa rationabilis, v. g. multitudo confitentium cogat, ita dicere confitenti suo: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designarit, cuius sententiã te stare volo.* Quia mera operum designatio, adeòque nudum ministerium alteri committitur: Sicuti si Confessarius virtute clauium iniungat pœnitenti ea pœnitentiæ opera, quæ vir ille iusta esse arbitratus fuerit. Quamuis huiusmodi facultatibus, tanquam in Ecclesia non vtitatis, raro & non nisi ob aliquam necessitatem vtendum sit.

Huc etiam spectat, quod tradit Nauar. in man. c. 27. n. 45. quod delegatus ab Episcopo, vel subdelegatus à delegato Papæ, postquam causam excommunicationis v. g. sibi commissam cognouit, & Reum absoluendum esse decreuit, simplex ministerium absoluendi cuique sacerdoti committere possit, arg. c. huius

Denique huc spectat, quod docet Sanchez cit. lib. 3. disp. 31. n. 20. Si Vicarius generalis alicui sacerdoti committat, vt receptis testibus, ac informatione de habilitate personarum assistat matrimonio earum, licet hanc testium receptionem alteri delegare non possit, cum sit actus iurisdictionalis, ipsam tamen assistentiam & coniunctionem sponso- rum alteri committere non prohibetur, cum sit nudum ministerium, non actus ali-

cuius iurisdictionis, ut docui lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 5.

§. Si verò.

SI vnus ex duobus à Principe, remota appellatione, delegatis, v. g. Titius Caius condelegato vices suas commisit, Caius non potest alteri causam delegare: Neque potest procedere, remoto appellationis remedio: quòd si ab eo appelletur, non ad Titium condelegatum, sed ad primum delegantem appellari debet.

Tria sunt asserta. Primum ita probari debet: Licet delegatus Principis subdelegare possit, non tamen potest hanc iterum subdelegandi potestatem in subdelegatum transfundere. Atqui Caius in proposita causa est subdelegatus à Titio Principis delegato: Ergo alteri committere non potest. Maior probatur: Tum quia facultas subdelegandi est priuilegium personale Principis delegato specialiter concessum: Ergo non potest ad alterum transfundi. Tum quia priuilegium non debet extendi ad casum diuersum: est autem aliud subdelegare, & aliud dare facultatem subdelegandi: Ergo ex eo, quod prius concessum est Principis delegato, non sequitur, etiam posterius concessum esse.

Dices. Cum Caius hoc casu duplici iure Iudex sit, ut delegatus, & ut subdelegatus, poterit iurisdictionem in hac causa alteri committere ut delegatus Principis, & retinere ut subdelegatus. Respondeo, Id fieri non posse. Partim, quia iurisdictionem, quando in vnâ personam translata est, indiuidua manet, ut non possit vna ratione transferri, & altera retineri. Partim quia Titius voluit vices suas delegare Caio Coadiudici suo, & Caius ita acceptauit. Si autem Caius iurisdictionem suam alteri committat, tum desinet esse Iudex, atque fieri poterit, ut alter ille discordet in sententia ab ipso Caio: quod repugnat priori subdelegationi factæ à Titio. Cæterum Caius iste non prohibetur sibi adhibere assessorem, non conferendo illi partes iudicandi, sed consilium dandi, iura explicandi.

Alterum ita declaratur ab Innoc. III. in hoc §. Licet delegatus à Principe, propter adiunctas clausulas, solus procedere possit, remota appellatione, si videlicet alter delegatus impeditus fuisset; non tamen potest ita procedere, si subdelegationem à socio accepit. Cum enim iurisdictionem eius indiuiduam vnâque sententiam proferat, si ab eo appellari non possit, consequens foret, quod subdelegatus procederet remota appellatione: Id verò absurdum est; cum priuilegium istud soli Principis delegato ut personale, & alteri incommunicabile competere possit.

Tertium ita probari debet: Cum iurisdictionem indiuiduam sit in persona Caij, necesse est absurdum sequi, si dicamus ab eo ad Titium subdelegantem appellari posse. Vel enim tota causa ei à Titio commissa est, vel pars. Si primum, cessauit eius iurisdictionem: Ergo ad ipsum non appellatur, iuxta §. Porro, hoc c. Si secundum, iterum appellari non potest: quia appellatio est ad superiorem Iudicem, non ad parem, ut hic Gl. docet ver. si non possunt, & DD. in l. 1. §. si quis, ff. de appell. Titius autem & Caius sunt pares in hac causa: Ergo, &c.

Corollarium: Transferri huc potest axiomata Philosophorum. Quod effectus sequitur deteriorem partem suæ causæ. Seu, quod *perfectum ex integra causa: Imperfectum autem ex quolibet defectu existit.* Diximus enim, quod delegatus Principis, propter admittionem imperfecti, videlicet subdelegationis acceptatæ à socio, ea præstare non potest, quæ alioquin ratione delegationis suæ possent. Videri hic potest Abb. & Barbat. col. 2. huius §.

§. Eius ergo.

Continet repetitionem eorum, quæ dicta sunt princ. huius c. & §. verum. Videlicet. Tametsi Auditor absque partium consensu datus sit, non esse locum appellationi: nisi is ut suspectus recusetur, vel partes iniuste grauet, tum causæ recusationis, vel grauamentorum delegato probari debet: quod si contumaciter iusta sit, admittitur recusatio, & ad auctoritatem

te, vel per alium, quem ad id elegeris, cui ex tunc potestatem cognoscendi committo. Ad e. ad hanc respondetur, ibi solum cauere, ne optio seu electio Iudicis delegati vni partium committatur.

Corollarium. Tamen si Cooperatores Parochorum alteri facultatem confessiones audiendi committere non possint; quandoquidem absoluendi potestas ipsis commissa est, non item potestas delegandi, vti bene notauit Suarez p. 3. t. 4. disp. 26. sect. 1. n. 4. tamen nihil obstat, quin Parochus Cooperatori suo mandare possit, si v. g. in hac Ecclesia sua, ad quam ipsum mittit, confitentium copia requiratur, vt quemcumque approbatum sacerdotem nomine ipsius Parochi constituat ad confessiones ibi excipiendas, vti etiam dixi lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 14. Eandemque potestatem dare poterunt Vicarij, quibus loco absentis Parochi cura totius Parochie commissa est, de quibus dixi supra, & videri potest Taberna ver. absolutio, l. §. 14. in fine. & ver. excommunic. 5. casu 15. n. 4.

11 Quartò limitatur. Licet delegatus à non Principe alteri causam, vel articulum causae iurisdictionalem subdelegare nequeat, potest tamen committere articulum non iurisdictionalem, constituendo v. g. aliquem merum auditorem, seu examinatore[m] testium. Ita habetur in hoc c. ver. Nos autem, vbi significatur, quòd non tantum Papae delegatus, sed quicumque Iudex auditor, vel executorem ad aliquem causae articulum constituit. Dicitur autem articulus iurisdictionalis, qui causae cognitionem continet, ideòque iudicis personam requirit: articulus verò non iurisdictionalis, qui non causae cognitionem, sed nudum ministerium, vel executionem aliquam habet, ideòque etiam in alia, quam Iudicis persona fundari potest, secundum doctrinam Gl. communiter receptam in Clem. vn. ver. Iudices, hoc tit. vbi exemplum affert: Si testes recepti sint, atque iurati, & articuli, super quibus producuntur examinati, & interrogatoria formata, tum ipsa testium examinatio & auditio, cum nudum ministerium contineant, adeò vt etiã

festo die exerceri possit, à quolibet seu ordinario seu delegato Iudice committi potest. Quaere Abb. hic n. 9. Sed ipsam testium receptionem, cum nondum approbati sunt, nec interrogatoria formata, non potest Iudex alteri committere, nisi sit ordinarius, vel à Principe delegatus, quia continent articulum iurisdictionalem, vt colligitur ex cit. Clem. vn.

Corollaria. Ex his defendi potest, quòd docuit Viualdus in Appendice Candelabri c. 14. n. 40. Licet Regulares v. g. qui ex Pontificio priuilegio dispensare vel commutare possunt vota, alteri committere, seu subdelegare non possint, quia eiusmodi facultates dispensandi, aut absoluendi non habent ratione officij, aut quasi ordinariam, sed iure speciali: posse tamen eos, si causa rationabilis, v. g. multitudo confitentium cogat, ita dicere confitenti suo: *Commuto tibi hoc votum in opera, quae vir ille doctus tibi designarit, cuius sententiã te stare volo.* Quia mera operum designatio, adeòque nudum ministerium alteri committitur: Sicuti si Confessarius virtute clauium iniungat poenitenti ea poenitentiae opera, quae vir ille iusta esse arbitratus fuerit. Quamuis huiusmodi facultatibus, tanquam in Ecclesia non visitatis, raro & non nisi ob aliquam necessitatem vtendum sit.

Huc etiam spectat, quòd tradit Nauar. in man. c. 27. n. 45. quòd delegatus ab Episcopo, vel subdelegatus à delegato Papae, postquam causam excommunicationis v. g. sibi commissam cognouit, & Reum absoluendum esse decreuit, simplex ministerium absoluendi cuique sacerdoti committere possit, arg. c. huius

Denique huc spectat, quòd docet Sanchez cit. lib. 3. disp. 31. n. 20. Si Vicarius generalis alicui sacerdoti committat, vt receptis testibus, ac informatione de habilitate personarum assistat matrimonio earum, licet hanc testium receptionem alteri delegare non possit, cum sit actus iurisdictionalis, ipsam tamen assistentiam & coniunctionem sponso- rum alteri committere non prohibetur, cum sit nudum ministerium, non actus ali-

cuius iurisdictionis, ut docui lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 5.

§. Si verò.

SI vnus ex duobus à Principe, remota appellatione, delegatis, v. g. Titius Caius condelegato vices suas commisit, Caius non potest alteri causam delegare: Neque potest procedere, remoto appellationis remedio: quòd si ab eo appelletur, non ad Titium condelegatum, sed ad primum delegantem appellari debet.

Tria sunt asserta. Primum ita probari debet: Licet delegatus Principis subdelegare possit, non tamen potest hanc iterum subdelegandi potestatem in subdelegatum transfundere. Atqui Caius in proposita causa est subdelegatus à Titio Principis delegato: Ergo alteri committere non potest. Maior probatur: Tum quia facultas subdelegandi est priuilegium personale Principis delegato specialiter concessum: Ergo non potest ad alterum transfundi. Tum quia priuilegium non debet extendi ad casum diuersum: est autem aliud subdelegare, & aliud dare facultatem subdelegandi: Ergo ex eo, quod prius concessum est Principis delegato, non sequitur, etiam posterius concessum esse.

Dices. Cum Caius hoc casu duplici iure Iudex sit, ut delegatus, & ut subdelegatus, poterit iurisdictionem in hac causa alteri committere ut delegatus Principis, & retinere ut subdelegatus. Respondeo, Id fieri non posse. Partim, quia iurisdictione, quando in vnâ personam translata est, indiuidua manet, ut non possit vna ratione transferri, & altera retineri. Partim quia Titius voluit vices suas delegare Caio Coadiudici suo, & Caius ita acceptauit. Si autem Caius iurisdictionem suam alteri committat, tum desinet esse Iudex, atque fieri poterit, ut alter ille discordet in sententia ab ipso Caio: quod repugnat priori subdelegationi factæ à Titio. Cæterum Caius iste non prohibetur sibi adhibere assessorem, non conferendo illi partes iudicandi, sed consilium dandi, iura explicandi.

Alterum ita declaratur ab Innoc. III. in hoc §. Licet delegatus à Principe, propter adiunctas clausulas, solus procedere possit, remota appellatione, si videlicet alter delegatus impeditus fuisset; non tamen potest ita procedere, si subdelegationem à socio accepit. Cum enim iurisdictione eius indiuidua sit, vnâque sententiam proferat, si ab ea appellari non possit, consequens foret, quod subdelegatus procederet remota appellatione: Id verò absurdum est; cum priuilegium istud soli Principis delegato ut personale, & alteri incommunicabile competere possit.

Tertium ita probari debet: Cum iurisdictione indiuidua sit in persona Caij, necesse est absurdum sequi, si dicamus ab eo ad Titium subdelegantem appellari posse. Vel enim tota causa ei à Titio commissa est, vel pars. Si primum, cessauit eius iurisdictione: Ergo ad ipsum non appellatur, iuxta §. Porro, hoc c. Si secundum, iterum appellari non potest: quia appellatio est ad superiorem Iudicem, non ad parem, ut hic Gl. docet ver. si non possunt, & DD. in l. 1. §. si quis, ff. de appell. Titius autem & Caius sunt pares in hac causa: Ergo, &c.

Corollarium: Transferri huc potest axioma Philosophorum. Quod effectus sequitur deteriorem partem suæ causæ. Seu, quod *perfectum ex integra causa: Imperfectum autem ex quolibet defectu existit.* Diximus enim, quod delegatus Principis, propter admittionem imperfecti, videlicet subdelegationis acceptatæ à socio, ea præstare non possit, quæ alioquin ratione delegationis suæ possit. Videri hic potest Abb. & Barbat. col. 2. huius §.

§. Eius ergo.

Continet repetitionem eorum, quæ dicta sunt princ. huius c. & §. verum. Videlicet. Tametsi Auditor absque partium consensu datus sit, non esse locum appellationi: nisi is ut suspectus recusetur, vel partes iniuste grauet, tum causæ recusationis, vel grauamenti eorum delegato probari debet: quod si contumaciter iusta sit, admittitur recusat, & ad auctoritatem

rem partes compellat, tum appellare possunt ad Principem delegantem; & quod interim actum fuerit, pro irritato haberi.

NOTANDVM Vn. Ab auditore non appellatur; cum Iudex non sit: sed causa recusationis, vel grauamen defertur ad Iudicem, qui Auditorem dedit. Sin autem is iustam recusationis vel grauaminis amouendi causam admittere nolit, tum ab eo ad superiorem Iudicem appellari potest.

CAPITVLVM XXVIII.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Cum delegato Principis ipsa lege concessa sit iurisdictione ad subdelegandam alteri, ideo recipere recusantem compellere potest, modo non malitiosè se ipsum subtrahere, & exonerare intendat. Alioquin, nisi delegatus coërcitionem aliquam haberet, eius in hac re potestas ac iurisdictione inutilis foret. Cauere tamen debet delegatus, ut, si postulante necessitate, personis superioribus causam delegandam arbitretur, in coactione inferenda dignitatis rationem habeat.

SVM MARI VM.

1. Delegare vel subdelegare causam contentiosam est actus iurisdictionis.
2. Delegatus Principis, id est, Superiorem nullum agnoscentis, causam sibi commissam delegare potest cuicumque personæ habili, cui ipse delegans committere possit.
- Imò subdelegatum compellere potest ad suscipiendam subdelegationem; nisi malitiosè onus in ipsum exoneret.
3. In coactione tamen, & pœna illatione haberi debet ratio dignitatis personæ.
4. Delegatus causam totam, & partem eius alteri subdelegare potest; renitentem autem acceptare, potest ad acceptandum compellere & punire.

5. Rescriptum posterius contrarium priori, nulla facta mentione reuocationis, subreptitium censetur, nisi Papa ex certa scientia posterius rescriptum mittat.
6. Iudex appellationis, qui confirmat sententiam, quam alius tulit, non mandat eam executioni, sed prior iudex, ut iudicium, ubi captum est, etiam perficiatur.
7. Ordinarius, & alius, qui merus exactor est, ad mandatum delegati sententiam exequi debet, nisi manifestè iniustam esse ei constet, saltem in causa criminali; tunc enim non debet exequi, sed ad Superiorem seu iudicem referre.
8. Delegatus eum, a quo impeditur malitiosè, ut nequeat die statuta procedere, puniet, & causam alteri iudici, neutri parti suspecto, ad eandem diem cognoscendam, remota appellatione, committet; nisi partes litem prorogent.

NOTANDVM I. Delegare, vel subdelegare causam contentiosam est actus iurisdictionis, uti habetur in l. 3. ff. de iurisdictione. Iurisdictione est Iudicis dandi licentia. Quare nemini competere potest, nisi iudiciaria potestate præditus sit: quia nemo alteri dat, quod ipse non habet, seu nemo plus iuris in alterum transferre potest, quam ipsi competere noscatur, reg. 79. in 6.

NOTANDVM II. Delegatus Principis, id est, Superiorem nullum agnoscentis, causam sibi commissam delegare potest cuicumque personæ habili, cui ipsemet delegans secundum iura committere posset, iuxta c. statutum, in princ. & §. in nullo. de rescript. in 6. Imò si causa aliqua subdelegandi appareat, aut præsumi queat, cogi potest alter ad suscipiendum: Præterquam si videat, quod ille malitiosè onus, v. g. odium seu periculum offendendæ partis in ipsum deriuare intendat: tunc acceptare non cogitur: Imò generatim dici potest, quotiescunque eadem causa recusandi militat in subdelegando, quæ est in delegato, quod subdelegandus acceptare non cogatur. Vide quæ dixi in c. 3. not. 1. hoc tit.

Porro

Porro maior necessitas requiritur, ut delegatus superiorem suum cogere possit ad causam sibi à Principe commissam suscipiendam: Et in ea ipsa coactione, aut pœnæ illatione dignitatis rationem habere debet, iuxta ea quæ dicta sunt supra in c. sanè, 11. hoc tit. Et videri possunt, quæ hic congerunt Barbatia col. 4. Felinus n. 1. & seqq. de personis nobilibus, aut in dignitate constitutis plerumque mitius puniendis, saltem pœna corporali, aut simili: nam talis pœna in maiore seu digniore persona maior censetur. Verùm in quibusdam casibus delictum specialiter aggrauatur, propter delinquentis dignitatem & auctoritatem, ut in perfidia, periurio: quare & pœna augeri debet, iuxta c. cum quidam, de iureiur. 12. iun. Gl. ver. dignitate. Rectè autem Gl. hic ver. si coërcitionem, ostendit, quòd Princeps delegatus ex iusta causa cogere possit subdelegatum, & acceptare renitentem punire. Quia delegare est mandare, seu præcipere: quamobrem fieri non potest, nisi erga personam iurisdictioni delegantis subiectam, uti habetur in l. vn. C. Qui pro sua iurisdictione, &c. Atqui potestas præcipiendi sæpe inutilis esset, & illusoria (ut in seq. etiam c. habetur) nisi adiunctam haberet potestatem pœnam inferendi, saltem modicam, seu leuem. Est enim alia punitio maior, quæ directè infertur personæ per tormenta, carcerem, cibi subtractionem; alia modica, quæ est pecuniaria multa, uti ex Baldo hic refert Imola n. 16. Abb. n. 9. Sed & Ecclesiastica censura, præsertim excommunicatio ad maiorem coërcitionem spectat: Imò etiam bonorum confiscatio, aut magnæ bonorum partis priuatio: siquidem quia etiam ea in personæ notabilem afflictionem redundat.

§. Item cum.

Sicuti delegatus causam totam alteri subdelegare potest, ita & partem seu articulum aliquem v. g. partium citationem, & renitentem compellere, ac punire.

Probat: Quia quod iuris est in toto quoad totum, idem iuris est in parte quoad

partem, l. quæ de tota, 76. iun. Gl. ver. dicta sunt, ff. de rei vindic. Et habet hæc regula locum, inquit Abb. hic, si eadem sit ratio partium, quæ totius: v. g. Qui mala fide fundum alienum possidet, debet eum cum fructibus omnibus restituere, ergo etiam qui partem fundi alieni mala fide possidet, cum fructibus eius restituere cogitur.

§. Præterea.

Papa aliquibus commisit causam, remota appellatione. Sed Titius conuentus nihilominus appellauit ad Pontificem, siquæ causam alijs iudicibus postea delegauit, quærebatur, vtrum priorum iudicium iurisdictionis & sententiæ eorum executio suspensa censi debet? Respondet Papa Innoc. Si Papa ex certa scientia appellationis causam alijs iudicibus committat, tum censendum esse remocare iurisdictionem priorum iudicium, ut interim executio sententiæ suspensa esse debeat, donec de causa appellationis cognitum fuerit.

NOTANDUM Vn. Licet rescriptum posterius, quod est contrarium priori, nulla facta mentione reuocationis, subreptitium censeatur, iuxta c. 3. de rescript. tamen hæc regula limitari debet; nisi Papa ex certa scientia posterius rescriptum mittat, tum censetur priori derogare, quatenus contrarium est. Ut in proposito casu; Papa delegauerit causam, appellatione remota: postea admissa appellatione rescripsit ad alios iudices, ut de eius iustitia cognoscerent; hoc casu, si vel in rescripto posteriore addita sint verba, *ex certa scientia*, vel ex adiunctis seu alijs narratis appareat, Pontificem sciuisse, quòd causa prius commissa fuerit, appellatione remota priorum iudicium iurisdictionis, & sententiæ latae executio interim suspensa esse debet.

QVÆRES I. Si tantum suspensa est iurisdictionis priorum iudicium, donec posteriores cognoscant, quare dicit hic Pontifex, iurisdictionem priorum iudicium reuocari? Respondeo; Reuocari non absolute, sed secundum quid, quatenus ipsis concessa erit remota appellatione.

QVÆRES II. Si posteriores iudices contra

contra appellantem cognoscant, vtri iudices latam prius sententiam exequi debeant? Resp. Hanc q. tractat hic Innoc. n. 7. ver. donec, Imola n. 14. Resp. cum Abbat. hic n. 7. Barbat. col. 2. arg. c. cum in Ecclesia, 38. de appellat. vbi Gl. ver. alioquin, regulam tradit. Quod Iudex appellationis, qui confirmat sententiam quam alius tulit, non mandat eam executioni, sed remittit ad priorem: vt videl. iudicium, vbi latum est, etiam perficiatur. quamuis aliter docuerit idem Abb. in cit. c. cum in Ecclesia, n. 8. sed tu vide Gl. magnam, & quæ ibi dicentur in c. 1. de appellat. in 6. Tholosan. de appell. lib. 2. c. 1. 4. n. 19.

§. Quia verò.

Si Iudex delegatus sententiæ à se late executionem Ordinario demandet, is autem ferat iniustam esse, nihilominus exequi tenetur, nisi obtinere possit, vt onus executionis sibi auferatur. Ratio est: Quia non cognitio, sed mera executio ei demandata est: Ergo obsequi debet delegato, tanquam qui ipso in hac causa maior seu superior est.

Aduerte, quod iudex differat ab executorre. Nam Iudex principaliter datur ad cognoscendum, & sententiam ferendam; accessorie autem, & consequenter ad exequendum. Executor verò principaliter datur ad exequendum; quamuis interdum accessorie cognoscere debeat, vt mox dicam. Est enim alius executor merus, & alius mistus, secundum Gl. hic ver. etsi sciat, Imolam n. 19. Merus executor dicitur, cui nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ committitur, & ipse nullas exceptiones admittere potest, vt colligitur ex l. sicut proponis, 6. C. de executione rei iudicatæ, & docet Gl. communiter recepta in c. de cætero, 5. de re iudic. Si tamen manifestò constet, errorem commissum esse, aut fraudem interuenisse, non debet exequi, sed ad Superiorem, seu Iudicem referre, iuxta c. 2. de crimine falsi, & videri potest Suarez de censuris disp. 3. sect. 15. n. 6. Executor mistus dicitur, cui non mera executio, sed etiam cognitio de facienda executione committitur. De hoc

sermo est in l. 4. C. si contra ius, & c. *Etsi non cognitio* (causæ principalis) *sed executio mandatur, de veritate precum inquire oportet, vt si fraus interuenierit, &c.* Talis est executor, qui à Papa per rescriptum deputatus est ad conferendum alicui beneficium, vt colligitur ex Clem. vn. hoc tit. iun. Gl. ver. executores, quæ inde colligit, quod isti deputati ad exceptionem habeant iurisdictionem delegatam. Et de hoc executore misto dicendum, quod exceptiones admittere, & de ijs cognoscere, quæ sunt ad impediendam, aut minuendam executionem, vt si deputatus sit ad executionem imperatæ solutionis, & reus conuentus compensationis factæ exceptionem obijciat, de ea cognoscere poterit. At verò de exceptionibus, quæ sunt de iustitia causæ, cognoscere ipse non potest, nisi in eum finem, vt intelligat, an ob eam causam ad Superiorem remittere debeat, iuxta c. de cætero, 5. de re iudic.

Quod si verò Iudex de statu rei informatus nihilominus executionem imperet, obedire debet executor, etsi sciat sententiam iniustam esse, sicuti hic Innoc. docet.

Sed pro pleniore huius doctrinæ intellectu ita distingue: Vel sententia iniuste lata est in causa ciuili, vel criminali: Si hoc secundum, ita vt agatur de occisione, vel mutilatione hominis innocentis, executor, v. g. Minister Iudicis, exequi non potest, vti hic Felinus notat n. 24. & docui lib. 3. tr. 6. c. 2. n. 8. §. ob eandem, quamuis aliqui nullum discrimen agnoscant inter causam ciuilem, & criminalem, vt videre licet apud Imolam hic n. 32. & seqq.

In causa ciuili iterum distingue: Vel sententia Iudicis non tantum iniusta est, sed etiam irrita, quia lata est contra iura manifesta, vel nullo iuris ordine obseruata: Et tunc executioni mandari non debet, quia tunc non agit vt Iudex, arg. c. forus 10. de verb. signif. & ex communi docet Imola hic n. 28. Abb. n. 4. Suarez loco cit.

Vel sententia valida est, quamuis iniusta seu contra ius partis litigantis, tum denuo distinguendum: Vel enim sententia est tantum materialiter iniusta, quia Iudex secundum

M m m m dùm

dum publica acta & allegata iudicauit; tunc executor, si facile errorem ostendere non possit, recte eam exequitur, iuxta ea quae dixi cit. c. 2. n. 8. & tradit Suar. cit. sect. 15. n. 7. ubi id declarat in sententia excommunicationis, si executori mandetur, ut eam denuntiet, qui scit materialiter iniustam esse, latam tamen secundum allegata & probata: imò etiamsi de hoc dubitet, & executionem subterfugere non possit. Quia in causa dubia Superiori parendum est, arg. huius §. *Quia non cognitio, sed executio mandatur eidem.* Vel est formaliter iniusta, quia Iudex ex imperitia, aut dolo ita iudicauit, tum deputatus ad exequendum, si onus à se rejicere non possit, neque etiam tanquam grauatus ad Superiorem facile appellare, tum exequi potest. Ratio est: Quia veluti iure debitum est, ut postquam sententia in rem iudicatam transiit, executioni mandetur. Condemnatus autem partim sibi imputare debet, quòd intra tempus ipsi concessum non appellarit: partim verò adhuc remedium habet, ut contra Iudicem agat ad damni illati refartionem, uti hic Gl. notat ver. sciat, in fine, Abb. num. 5. & docui cit. cap. 2. quæst. 3. num. 10. Quia sententia Iudicis, à qua appellatum non est, non ita transit in rem iudicatam, ut naturalis obligatio tollatur, iuxta l. Iulianus, 60. ff. de condict. indebiti, ubi dicitur, quòd sententia Iudicis debitorem absoluendo, nō faciat, ut non sit debitor.

Porrò quod Syl. monet ver. Iudex, 1. in fine, Iudicem delegatū, qui ex necessitate cogitur causam suscipere, si per imperitiā erret in iudicando, excusatū esse, quando assessoris, seu consiliarij, qui pro idoneo haberi solet, consilium securus fuit; hoc non ita locum habet in delegatis Papæ, quippe quibus ratione dignitatis suæ, in qua constituti sunt, incumbit, ut se idoneos reddant ad causarum sibi delegatarum cognitionem. Verum tamen est, quòd delegatus, sicuti & ordinarius Iudex, quandoque excusetur, si in re dubia aliorum Doctorum, seu Consiliariorum sententiæ bona fide acquiescat.

§. Cùm autem.

Accidit interdum, ut partes malitiosè & procurent Iudicem ad eum diem, ad quæ citati sunt, à Rege vel Archiepiscopo euocari; decernit Innoc. si Iudici delegato talis fraus partis litigantis perspecta fuerit, eam competenter puniat, & ne commodum ex malitia sua reportet, causam alteri Iudici neutri parti suspecto ad eundem diem cognoscendam, remota appellatione committat: nisi vtraque litigantium pars consentiat, ut lis prorogetur.

NOTANDVM Vn. Casus est specialis, in quo subdelegatus à delegato Papæ procedere potest, remota appellatione, ipso iure talem facultatem committente. Ratio afferitur: Quia æquum non sit, ut pars vna ex propria fraude commodum ferat, cum alterius partis incommodo. Quæ ratio tum maximè locum habet, si etiam Iudici delegato causa commissâ fuerat, remoto appellationis remedio.

CAPITVLVM XXIX.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Controuersia de canonicatu erat inter Antonium, & Canonicos S. Iustinianæ: Eam Pontifex ad petitionem Canonicorum commisit Primicerio Grandensi, & Pribano S. Sophiæ: Postea verò Antonius alias literas super eadem causâ impetruit ad Archipresbyterum Paduanum. Is procedens in ea causa, in Canonicos S. Iustinianæ excommunicationem promulgari curauit, eò quòd Antonium in Canonicum recipere nollent. Sed priores illi deputati Iudices mandarunt Patriarchæ Grandensi, ut dictos Canonicos excommunicatos non esse declararet, ac demuntiarer: eò quòd literæ posteriores, in quibus de prioribus nulla mentio fiebat, subreptitiæ essent, per quas nulla Archipresbytero potestas collata sit. Cùm verò Patriarcha mādaturū exequi vellent, Archi-

Archidiaconus Castellanus obstitit, & impediuit, ne literæ eius pro publica con-
 cione legi possent: quam obrem à Patriarcha, vnâ cum Ecclesiæ eius, interdicto sub-
 iectus est. Hac quæstione ad Papam In-
 noc. III. relata, alijs delegatis Iudicibus
 mandat, vt si veritate inquisita, ipsis con-
 stiterit, quod in literis secundis expressa
 mentio facta non sit de prioribus, tum
 sententiam interdicti latam à Patriarcha
 confirmet, & obseruari faciant, donec ei-
 dem Patriarchæ de illata iniuria suffici-
 enter satisfactum sit: Quandoquidem prio-
 res iudices potuerunt causæ illum articu-
 lum subdelegare Patriarchæ, consequen-
 ter is coercitionem habuit erga volentes
 eum impedire, cum alioquin iurisdictio
 inutilis & illusoria foret. Sin autem con-
 stiterit, priores literas per secundas legiti-
 mè reuocatas fuisse, tum sententiam in-
 terdicti irritam pronuntient: propterea
 quod priores iudices, potestate sua in hac
 causa priuati, nullam iurisditionem, aut
 coercendi potestatem deriuare potuerint
 in Patriarcham. Ita habetur secundum in-
 tegram huius c. lectionem.

SUMMARIUM.

1. *Subdelegatus Papæ non merus executor, potest coercere seu punire inobedientes & impediens eum in exercitio iurisditionis.*
2. *Qui ob manifestam iniuriam contraxit censuram, non debet prius ab ea absolui in externo foro, quam parti læsæ satisfecerit.*

NOTANDVM I. Literæ posteriores in eadem causa impetratæ ad alios iudices, censentur subreptitiæ, si in ijs non fiat mentio literarum priorum. Ita etiam habetur in cap. 3. de rescript. & cap. 2. de dolo, & contumacia.

His addi debet, quod non sufficiat fieri mentionem literarum, non obstantibus literis, si quas alijs dedimus, sed opus esse mentione speciali literarum ad priores Iudices in hac causa datarum, vti constat ex c. bonæ,

3. de confirmat. vtili & inutili: Nam reuocatio potestatis delegatæ censetur esse odiosa: quia cedit in cōtemptum priorum iudicium, nisi causa afferatur, cur talis mutatio facienda sit, arg. c. vt debitus, 69. de appellat. & videri potest Barbat. hic col. 1. & 2. Imola n. 6.

NOTANDVM II. Subdelegatus Papæ potest coercere, seu punire inobedientes, atque impedire eum volentes in exercitio iurisditionis. Id verò intelligi debet, si non nudum ministerium aut mera executio alicui demandata sit, sed articulus aliquis iurisdictionalis. Quare colligere debemus, Patriarchæ non fuisse mandatum, vt declarationem à prioribus Iudicibus de nullitate excommunicationis factam duntaxat promulgaret; sed vt post causam ab ipso cognitam promulgaret. Alioquin enim, si Patriarcha merus executor seu Minister fuisset, non potuisset dicere Innoc. eum iurisdictionem à Iudicibus ipsi hanc causam delegantibus accepisse, & ideo coercitionem habuisse, cum iurisdictio sine potestate coercendi delusoria sit. Ita bene notauit hic Barbat. col. 8.

NOTANDVM III. Qui ob manifestam iniuriam censuram contraxit, non debet prius ab ea absolui in externo foro, quam parti læsæ satisfecerit. Ita habetur etiam in c. ex parte, 23. & seq. de verb. signif. & c. 2. de sent. excom. in 6. & notat Gl. hic ver. satisfactum. Abb. in c. cum contingat, 36. n. 1. hoc tit. Sed vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. q. 2. dicto 4.

CAPITVLVM XXX.

Licet vndique.

PARAPHRASIS.

Papa tribus Iudicibus causam commiserat adiectâ clausulâ, si omnes interesse non possint, vt duo exequantur: Postea vnus Iudicum alteri vices suas commisit; tertius autem vt suspectus merito recusatus fuit. His positis, ille qui vices suas commisit, è vita excedit; quæritur hoc casu, an superstes collega in causâ procedere possit tum suo, tum defuncti nomine. Respon-

M m m m 2 det

det Innocent. III. distinguendum esse: Si ante mortem illius iurisdictione vti non cœpit, non potest solus iudicare: quia mandatum seu delegatio ipsi facta morte mandantis expiravit, cum res integra esset: sin autem ante mortem mandantis iurisdictione mandata vti cœpit, procedere potest iudicando suo, & alterius iam defuncti, nomine.

S V M M A R I V M.

1. *Iurisdictione delegata, aut subdelegata morte committentis expirat, si res tunc integra sit.*
2. *Expirat etiam subdelegati iurisdictione, re integra, si causa delegata sit à Principe alicui ratione dignitatis suae, eo deposito, vel renunciante, aut ad aliam dignitatem translato.*
3. *Idem est, si alicui à Papa causa delegata sit intuitu personae, si ea deposita sit à dignitate, vel Canoniatu. secus est, si dignitati, vel Canoniatu renunciauit, vel alio translatus est.*
4. *Si primus delegans mortuus est, vivat verò delegatus, subdelegati iurisdictione non expirat, causâ nondum cœpta: mortuo autem delegato, & superstito primo delegante, extinguitur subdelegati iurisdictione, si eâ nondum vti cœperat.*

NOTANDVM I. Etsi in rescripto positum sit, vt duo procedant, nihilominus vnus alteri vices suas committere potest, ita vt ille duplici iure ac nomine in causa procedat. *Qua de re dictum est supra.*

1. **NOTANDVM II.** Iurisdictione delegata, aut subdelegata morte committentis expirat, si causa tunc integra sit, seu nondum cœpta per citationem partis, vti dictum est supra in c. gratum 20.

QVÆRITVR primò: Si iudex delegatus à dignitate depositus sit, vel renunciarit, vtrum subdelegatus procedere possit, si res integra sit. Respondeo & dico I. Si causa à Principe delegata sit intuitu dignitatis suae,

eo deposito, vel renunciante, aut ad aliam dignitatem translato, expirat iurisdictione subdelegati ab ipso, si res integra sit. Ita docet Gl. hic ver. re integra, quam sequitur Imola hic num. 25. Quia mors naturalis & civilis æquiparantur, quando eadem militat ratio, vt in casu proposito: Quandoquidem æquè per depositionem, ac per mortem naturalem iurisdictione delegato aufertur, si in dignitate eius fundata sit.

Contrarium tamen ex Hostiensis docent hic Abb. num. 7. Barbat. col. 10. Nam hoc casu delegatus censetur eo iure causam subdelegare, quo eam accepit: accepit autem eam iure dignitatis, non personali: quare cum dignitas per depositionem non expirat, consequens est, vt nec subdelegatio eius intuitu facta expiret, argum. c. si gratiosus, 5. de rescript. Resp. maiorem esse negandam. Quia, ordinariè loquendo, delegatio, aut subdelegatio non procedit à dignitate, sed à persona; aded, vt etiam Papæ mandata atque commissiones ab auctoritate personæ procedere censentur, non ab ipsa dignitate, aut sede, quæ semper permanent: alioquin falsum esset, eas morte Pontificis extingui, si res integra sit, c. relatum, 19. hoc tit. c. si cui, 36. de præbend. in 6. Verum quidem est, quod dignitas, seu sedes v. g. Apostolica sit causa & radix potestatis seu auctoritatis, ex qua promanant rescripta; proximè tamen procedunt ab auctoritate personæ, non dignitatis: nisi expressè addatur, *Sedes Apostolica tibi committit.* Hoc enim casu per mortem Pontificis non expiraret commissio, tametsi res integra esset. *Qua de re videri potest Sanchez cit. Disp. 28. num. 44.* Accedit his, quod idem Sanchez eodem loco annotauit; Inferiores Principe non posse iurisdictionem contentiosam alijs delegare, ita vt sit perpetua, seu vt mortuo delegante non expiret, si res integra sit.

Dico II. Si causa alicui à Papa delegata sit intuitu personæ, tunc eâ deposita à dignitate, vel Canoniatu, expirat iurisdictione subdelegati, si res integra sit: *secus*

Cum in iure.

PARAPHRASIS.

Aliquis asserens se Apostolicæ Sedis delegatum, mandat Ordinario loci hoc modo: Auctoritate, qua fungor, iniungo tibi, vt Titium denunties excommunicatum: Sed Ordinarius dubitat de commissione illi à Sede Apostolica facta, vtrum mandatum sibi iniunctum exequi teneatur. Respondet Innoc. III. quòd non teneatur exequi, nisi de mandato Apostolico certa ipsi fides fiat.

SUMMARIVM.

1. *Nisi delegatus de delegatione sua fidem authenticam faciat, non est ei necessarium parendum.*
2. *Anie litis contestationem pars litigans opponere potest defectum iurisdictionis, seu delegationis.*
3. *Si delegatus intelligat oppositionem frivolum esse, aut malitiosè opponi, cogere potest ad parendum.*
4. *Is, pro quo delegatus sententiam tulit, curet etiam mandatum seu commissionem coram Iudice, presente parte, à Notario registrari ac transcribi.*

NO T A N D V M Vn. Nisi delegatus de delegatione sua fidem authenticam faciat, non est ei parendum. Consentit c. cum contingat 24. de rescript. Ratio est: Quia factum non presumitur, sed probari debet; præsertim si allegetur in alterius præiudicium, vti hic docet Barbat. col. 2. & 4. & dixilib. 1. Th. mor. tr. 1. c. 5. n. 30. Idemque dici debet de quibuscunque mandatarijs, procuratoribus, sed & legatis Apostolicis circa speciales facultates, vt ijs fides haberi debeat, mādaturum vel commissionem exhibendam esse. Qua de re Felinus hic n. 11.

Sed declarari debet primò: Quòd aliquis possit quidem exigere literas delegationis, aut mandati, sed non debeat, si sine illis fi-

M m m m 3 dem

secus verò dicendum, si dignitati, vel canonicatui renuntiavit, vel aliò translatus est. Ratio vtriusque partis est: Quia dum res integra est, iurisdictione delegata censetur potius pertinere ad delegantem, vel subdelegantem, ab eòque dependere sicuti dixi in c. gratum, 19. hoc tit. Consequenter si ille deponatur, vel alia ratione statum incompossibilem assumat, vt iurisdictione ipsi auferatur, non poterit amplius in persona delegati, vel subdelegati fundari. Sin autem delegatus renuntiet, aut transferatur, nihilominus retinet iurisdictionem in ordine ad illam causam, vti dixi eod. c. gratum, q. 19. consequenter etiam in subdelegato eius iurisdictione fundari potest.

QUÆRITVR secundò: Vtrum subdelegatus procedere possit, si primus delegatus mortuus sit, viuat verò delegatus; aut vice versa, delegatus mortuus sit, viuat verò primus delegatus. Respondeo & Dico I. In priore casu refert, vtrum causa (si tota subdelegata fuerat) cœpta sit, necne. Si nondum cœpta, expirat iurisdictione: Quia subdelegatus subrogatur delegato: ergo sicuti huius iurisdictione cessat per mortem delegantis, re integra; ita & subdelegati, argum. c. penult. eod. in 6. Sin autem cœpta est causa à subdelegato, non expirat eius iurisdictione; quæ in ipso radicata est, argum. c. penult. hoc tit. & docet Sanchez lib. 8. disp. 28. n. 37.

Dico II. In altero casu, si nimirum mortuo delegato, superstes sit primus delegatus, extinguitur iurisdictione subdelegati, si eam nondum vti cœperat, sicuti valde probabiliter docet idem Sanch. n. 36. ex ratione l. more, 13. de iurisdictione. Cum enim Principis delegatus potestatem subdelegandi ex lege, ad eumque veluti ordinariam habeat, vti notauit Abb. hic n. 4. sequitur, quòd ipse sit radix ac fundamentum potestatis subdelegatæ, quæ proinde extinguitur ruente delegato, seu eo qui subdelegauit. Excipie. Nisi delegatus non suo nomine, sed auctoritate ac potestate sibi tradita à primo delegante subdeleget, tunc ipso mortuo, siue viuat siue non viuat delegatus, expirat iurisdictione, si causa integra seu nondum cœpta sit.

dem habere velit asserenti, ut hic docet Abb. n. 4. Secundo: Si dominus qui potestatem delegat, praesens sit, ut facile ex ipso quaeri possit, tum literae plerumque non exhibentur, ut hic notat Barbatia col. 4. Tertio: **2** Quod pars litigans ante litis contestationem opponere possit defectum iurisdictionis, seu delegationis; sed non postea, nisi cum onere probandi seu ostendendi defectum, ut hic notat Abb. n. 7. Barbatia col. 8. arg. c. inter Monasterium, 20. de re iudicata. Tamen si verò talem negatiuam ostendere difficile sit, tamen non dicitur impossibile, saltem ut indirectè probetur, v. g. delegantem eo tempore non fuisse in loco, ubi & quando delegatio facta narratur, sicut Imola hic notat n. 7.

Sed quid? Si exhibito mandato, Ordinarius, vel pars citata, nolit parere, insiciendo iurisdictionem delegati praetextu falsitatis in rescripto apparentis, alteri sine defectus. Respond. Si delegatus intelligat oppositionem friuolam esse, aut malitiosè opponi, cogere potest ad parendum, ut ex Hostiensis docet hic Abb. n. 5. Barbat. col. 5. Quia Iudex non tantum Ordinarius, sed etiam delegatus, exorto dubio, cognoscere potest, num sua sit iurisdictionis, ut ex communi docet D. Martha de iurisdic. p. 2. c. 4. ex l. 2. ff. Si quis in ius vocatus non ierit, iun. Gloss. Videtur tamen discrimen hoc esse inter Iudicem ordinarium, ac delegatum, quod ille iurisdictionem fundatam habeat, ideoque etiam in causa verè dubia ipsi parendum sit: cum in dubio inter Superiorem, ac subditam praesumptio sit pro Superiore, argument. c. quid culpatur, 4. causa 23. q. 1. At verò delegatus Iudex non habet fundatam iurisdictionem: ideoque nisi eam ostendat, ita ut rationabiliter dubitari non possit, non competit ei vis compellendi, ut ex Hostiensis hic annotavit Barbatia col. 5. & docet etiam Innocent. hic n. 3. Ad extremum notanda est doctrina Gl. hic ver. super mandato, quam explicant hic Barbatia col. 11. Abb. n. 6. Felinus n. 8. & in c. ult. de fide Instrumentorum. Tamen si in publico instrumento exhibeatur lata sententia à delegato Iudice, non tamen exinde ostendi, quod is habuerit ma-

datum ac iurisdictionem: quare cautus esse debet is, pro quo delegatus sententiam tulit, ut etiam mandatum, seu commissionem coram Iudice, praesente parte, à Notario registrari, ac transcribi curet. Nam alioquin si in actis publicis à Notario mentionem factam sit delegationis, aut mandati procuratorij transumpti, ea res probat quidem productionem mandati, sed non tenorem eius, ut singulariter Innocent. hic notavit n. 4. Ceterum, si constet, partem à Iudice delegato citatam, ac praesentem iudicio, ante litis contestationem nihil opposuisse, praesumptionem nasci pro iurisdictione eius, supra dixi, & tradunt DD. citati.

CAPITVLVM XXXII.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Abbas quidam & Conuentus eius conque-
rentes de Comite Altisiodorensi, quod in
eorum territorio stagnum, molendinum,
& domum extruxisset, impetrarunt à Pa-
pa causam hanc quibusdam iudicibus de-
legari. Coram his lite contestata, recep-
tis ab utraque parte testibus, & testimo-
nijs eorum publicatis, Comes opposuit
quod Iudices de damnis in memoribus &
alijs rebus illatis, testimonia recipere,
aut cognoscere non debeant, cum in rescri-
pto commissionis Apostolicae nulla de do-
mini mentione facta sit. Sed Iudices de ex-
ceptione hac cognoscentes, interlocuti
sunt, etiam de damnis cognoscere ad ipsos
pertinere: Quo audito Comes à sententia
ista ad Sedem Apostolicam appellauit:
Iudices reiecta appellatione tanquam non
legitima, Comitem denuo ad iudicium ci-
tarunt; sed cum is neque per se, neque per
alium compareret, ipsum excommunicarunt.
Hoc processu ad Papam Innocentium III.
delato, respondet is: Cum ad Iudices non
spectaret cognitio de damnis illatis, eò
quod de his in rescripto mentione facta non
fuerit, neque Iudices iurisdictionem suam eo
exten-

extendere seu prorogare potuerint; quem admodum nec Procurator ad alia, quam quæ in procuratorio mandato expressa sunt, constitutus esse censetur; ideo rectè egit Comes, quòd statim ac publicatis attestationibus intellexit testes super damnis illatis examinatos deposuisse, còtraderit: Iudices autem perperam interlocuti fuerunt; consequenter appellatio Comitum contra interlocutoriam legitime interposita, sententia autem excommunicationis nullius roboris censeretur.

SUMMARIUM.

1. Qui violant immunitatem ecclesiasticam, etiam coram ecclesiastico Iudice conveniri possunt.
 2. Non tantum edificans in alieno solo, sed etiam preparatoria faciens, v. g. locum adaptando, nemora succidendo & c. obnoxius est noui operis denunciationi.
 3. Rescriptum delegationis est strictæ interpretationis, unde non est extendendum de causa expressa ad non expressam, si ea connexa non sit, sed separabilis.
 4. Iudex delegatus ex partium consensu iurisdictionem prorogare potest, si prorogatio sit dubia, & Iudice pro sua iurisdictione indicante, partes appellando non contradicant.
- Si autem manifesta sit prorogatio quoad substantialia, ea fieri non potest; secus est, si tantum sit prorogatio quoad accidentalia; modo restrictionem factam esse constat principaliter in fauorem partium.*
5. Procurator ad lites mandatum sua procuratoris prorogare non potest, domino ignorante.
 6. Mandatum procuratoris ad lites & negotia strictæ interpretationis est.

NOTANDVM I. Qui violant iura & immunitatem Ecclesiasticam, vt Comes iste volens stagnum & molendinum in terra Ecclesiæ edificare, ij coram Ecclesia-

stico etiam Iudice conveniri possunt: quare talia crimina censentur mixti fori, si Reus laicus sit. Ita sumitur ex c. cum sit, 8. de foro compet. & docet hic Barbat. col. 3.

NOTANDVM II. Non tantum si quis re ipsa in alieno solo ædificet, sed etiam si præparationem faciat, v. g. locum adaptando, nemora succidendo, materiam aduehendò, locus est noui operis denunciationi, de qua tit. 32. lib. 5. decret. Vel interdicto *Vti possidetis*, vt à violentia desistatur, sicuti Innoc. hic docet princ. & Barbat. col. 4.

NOTANDVM III. Rescriptum delegationis est strictæ interpretationis: quare extendendum non est de causa expressa ad non expressam, si ea connexa non sit, sed separabilis. Sicuti in casu proposito: Mandatum cognoscendi, vtrum Comes ius ædificandi, habeat, & cognoscendi de damno illato diuersa, & separabilia sunt, cum diuersas actiones requirant.

Cæterum, si commissum sit alicui, vt iudicet de iure ædificare volentis, consequenter etiam prohibere & repellere potest ædificatorem, si ius non habere iudicatum fuit: quia id ad sententiæ executionem spectat, c. significasti, 7. hoc tit. Item si alicui commissum sit, vt de illata iniuria, damno, aut spoliatione iudicet, potest partem lædentem compellere ad restitutionem, aut satisfactionem: quia hæc connexa sunt, vt eadem actione peti soleant. Ita notat hic Innocent. n. 2. Joann. Andr. n. 8. Abb. n. 7. Cæterum si post lites contestationem Comes ædificationis prosequendæ causa damnum in nemoribus dedisset, tunc causæ commissæ annexum fuisse, vt per sensum contrarium ex textu colligitur.

NOTANDVM IV. Iudex etiam delegatus, interloquendo pronuntiare potest, iurisdictionem sibi competere; adeò, vt si pars non appellet, sententia illius transeat in rem iudicatam. Qua de re Gl. fin. in Auth. habita, C. Ne filius pro patre, Barbat. hic col. 9. Imolan. 9.

Quòd verò ijdem Doctores, & Abb. n. 3. Felinus n. 3. hic disputant, vtrum Iudex delegatus ex partium consensu iurisdictionem

debet

nem prorogare possit, arbitror distinguendum: Vel enim prorogatio, seu extensio iurisdictionis ultra commissionis formam, manifesta est, vel dubia. Si dubia, & Iudex pro iurisdictione sua iudicet, nec partes appellando contradicant, tum fieri potest, ut iurisdictione prorogetur, sed per accidens propter ignoracionem, & rei iudicatæ auctoritatem. Sin autem manifesta prorogatio, tum vel est quoad substantialia, cuiusmodi est prorogatio de casu ad casum, aut de persona ad personam. Et hæc fieri non potest etiam de partium consensu, uti sumitur ex hoc c. & ex c. P. & G. 40 hoc tit. vbi id docet Abb. n. 12. Ratio est: Quia delegatus habet iurisdictionem non absolutam (nisi sit ad vniuersitatem causarum delegatus, ut dicam in cit. c. P. & G.) sed secundum quid, seu limitatam ad causas & personas; quæ limitatio exactè seruari debet. Vel est prorogatio, quoad accidentalia, videl. locum, tempus, quantitatem rei. Tum prorogatio fieri potest ex partium consensu, dummodò appareat, limitationem seu restrictionem in earundem partium fauorem principaliter factam esse. Et quidem de prorogatione temporis, intra quod iuxta formam rescripti causa expedienda esset, leges in c. de causis, 4. hoc tit. De prorogatione loci in c. statutum, 11. §. cum verò, de rescript. in 6. vbi tamen expressus partium consensus requiritur. Quod speciale censeretur debet; cum alioquin expressi, & taciti eadè vis sit, iuxta Gl. in c. 1. ver. opera, d. 43. Deinde necesse est, ut locus, ad quem iurisdictione transfertur, subiectus sit iurisdictioni delegantis, vel saltem ut Ordinarius illius loci contentus sit, sicuti monet Abb. in cit. c. P. & G. n. 14. Denique de prorogatione ad qualitatem constat ex l. de qua re, 74. §. 1. iun. Gl. ver. iustus, ff. de iudicijs.

Veruntamen Procurator ad lites neque mandatum suæ procuracionis prorogare potest domino ignorante; quippe cuius interest, nihil ultra commissionem suam agi, uti Imola hinc notat n. 10. Neque consentire potest Procurator, quamuis generale mandatum habeat, ut rescriptum, quod in domini sui fauorem ad locum, tempus, aut quan-

titatem restrictum est, prorogationem consequatur; nisi dominus sciat, ac tacite consentiat, vel nisi mandatum generale habeat cum libera, uti ex communi docet Felinus cit. c. P. & G. n. 11. Denique, ut supra monui, necesse est restrictionem iurisdictionis factam esse in fauorem partium: Sin autem in utilitatem mandantis, alteriusve personæ, vel ob fauorem publicum, tum mandati fines exactè seruari debent, neque ultra extendi possunt, uti hinc Abb. monet n. 9. ex c. cum dilecta, 22. de rescript. & c. venerabili, 37. hoc tit.

NOTANDUM V. Mandatum procuratoris ad lites strictè etiam interpretandum, neque extendendum est ad ea, quæ non expressa, vel expressis necessariò coherentia non sunt. Et eadem est ratio de procuratore ad negotia, sicuti hinc exemplificant Abb. & Felinus. Si Titius à Caio mandatum accepit pecunias debitas recipiendi, confessio procuratoris de pecunia numerata non præiudicat domino, quando ille non ad confitendum, sed ad recipiendum duntaxat mandatum accepit. Verum quidem est, quod confessio recepti debiti, v. g. ex causa mutui probet solutionem factam, c. si cautio, 14. de fide instrumentorum, sed non nisi eius respectu, qui confessus est, aut confessionem fieri mandauit.

Deinde: Si quis constitutus sit ad vendendum rem certam, pretio certo ipsi constituto, non potest fidem habere de pretij solutione; nisi sit consuetudo mandantis, ut temporibus fidem habeat de solutione ad aliquod tempus differenda; vel si mandatarius prudenter rem domini agat, ut si is præsens esset, facile consensum daret. Quæ de re Mol. tom. 2. disp. 552. Vide quæ dixi lib. 3. The moral. tr. 4. c. 27. n. 6.

CAPITVLVM XXXIII.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Cum Sebastianus & Benedictus dignitatum suarum permutatione instituere vellent, contra-

controuersia inter eos orta fuit, quam Innocent. III. quibusdam Iudicibus delegauit: si acta per Benedictum ad eundem Pontificem transmiserunt. Sed lator Benedictus non sine iniuria delegatis Iudicibus, imò ipsi Pontifici illata, sigillis amotis, literas aperuit. Hac re postea ipsi coram Pontifice obiecta, excusauit, quòd Iudices acta non fideliter annotarint, idèque se veritum, ne literas Vriæ deferret, eas aperuisse, & quòd suspicatus erat, comperisse. Verùm, si Benedictus sibi consultum voluisset, literas sibi suspectas non recipere debuisset; aut, si recepit, integras afferre, & suspicionis suæ causas coram exponere. Accedit, quòd Pontifex non proprio motu Iudicem Benedicto constituerit, sed què ipsemet petierat. Quamobrem Innocentius obiecta eius contra Iudicum literas, quas temerè violarat, audire noluit: Ne ex proprio dolo commodum ferat; sed potius in eo ipso puniatur, in quo peccauit.

SUMMARIUM.

1. Iniuria vel inobedientia Iudici delegato illata redundat in personam delegantis.
2. Qui literas, vel instrumentum malitiosè aperuit, aut falsauit, audiendus non est, si eas de falsitate arguere velit.
3. Iudicem à Principe datum pars litigans recusare potest, ut suspectum, probabili allegata causa suspicionis, nò item eum, quem ipsamet pars petiuit, nisi causa recusationis superuenerit, aut incognita apparuerit.
4. Literas alterius aperiens, ut falsarius puniri non potest.
5. Falsarius autem est, qui à literis vel instrumento authentico sigillum, vel plumbum signatum auellit; vti & ille, qui instrumentum, quod partibus commune non est, ideo aperit, ut aduersario ostendat, & re ipsa ostendit.

NOTANDVM I. Iniuria vel inobedientia Iudici delegato illata, censetur

redundare in personam delegantem, cuius auctoritate fungitur in officio ac potestate sibi commissa. Ita notant hìc Abb. n. 1. Barbat. col. 1. in confirmationem allegans dictum Christi Lucae 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: Item praxin Iudicum delegatorum, ita procedentium; *Cum N. mandatis nostris, imò verius Apostolicis non paruerit, &c.* Videtur autem, quòd hoc casu vterque, tum delegatus tum delegans iniuriam prosequi possit. Sed videri potest Barbatia hìc col. 2.

NOTANDVM II. Qui literas, vel instrumentum malitiosè aperuit, aut falsauit, postea audiendus non est, si eas de falsitate arguere velit. Tum quia æquum nò est, vt quis ex propria iniquitate commodum ferat, c. fides, 15. c. ex tenore, 16. de rescript. Ille autem commodum ferat, textu literarum apertione, si postea eas de falsitate arguere possit. Tum quia æquum est aliquem in eo puniri, in quo peccauit. Ille autem peccauit in literis violandis & quodammodo falsandis: ergo meritò punitur, vt literas tanquam suspectas, aut falsas arguere nò possit. Ex quo inferitur, secundum Abb. n. 3. Quòd qui clam fecit sibi testiū depositiones manifestari, postea audiendus nò fit, si eas impugnare velit: Accedit, quòd cū semel de ceperit, minor ipsi fides haberi debet, iuxta iuris reg. 8. in 6. *Semel malus semper presumitur esse malus*. Nihilominus verò Iudex ex officio potest, ac debet cognoscere, num falsitas aliqua subsit, vti bene Barbatia hìc annotauit col. 6.

NOTANDVM III. Iudicem à Principe datum pars litigans recusare potest vt suspectum, illata causa probabili suspicionis: Sed Iudicem, quem ipsamet pars petiuit, recusare deinde non potest: nisi causa recusationis postea superuenerit, vel antea incognita apparuerit, vti colligitur ex c. insinuante, 25. hoc tit. & notat Barbatia hìc col. 6.

Quærun hìc Doctores: Vtrum iste literas aperiens, tanquam falsarius puniri poterit. Affirmat Gl. hìc ver. sigilla, quam sequitur Barbatia hìc col. penult. Sed contrarium docent Innocent. & Abb. hìc, quos secutus sum lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 2.

Nnnn Non

Non esse propriè falsarium, neque ut talem puniendum esse, sed mitiùs, spectata qualitate facti. Quia crimen falsi continet veritatis peruersionem, ut dixi in cit. c. 4. Qui autem literas aperit, ut legat, is veritatem non peruertit.

5 Sed limitari debet primò: Qui à literis vel instrumento authentico sigillum, vel plumbum signatum amouet, falsarius censeri debet: quia peruertit veritatem, & auctoritatem literarum, ut hic Felinus significat col. vlt. Idémque eadem ratione Syl. ver. falsarius, q. 3. tradit de eo, qui scripturas lacerat, vel comburit, vel dolose abscondit, ne earum veritas apparere possit.

Limitari debet secundò: Nisi literas seu instrumentum, quod partibus commune non sit, ideo quis aperiat, ut Aduersario ostendat, secuto effectu, censetur falsi crimen commisisse, uti docent DD. citati; eò quòd hæc sit iuris, seu iustitiæ peruersio cum dolo, & alterius damno iuncta.

CAPITVLVM XXXIV.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Quidam Presbyter, intra fines Parochiæ S. Mariæ Rauennatensis Capellam seu Ecclesiam construxit in honorem S. Agathæ: Rector S. Mariæ se opposuit, & impetrauit causam quibusdam Iudicibus committi. Ii pro Ecclesia S. Mariæ sententiam pronuntiarunt: Sed Cappellanus S. Agathæ parere recusans, alias literas à Sede Apostolica impetrauit ad Ferrariensem Episcopum: Et cùm diu coram eo litigasset, postea obtinuit, ut dicto Episcopo Ludouicus Bononiensis Canonicus adiungeretur, hac adiecta clausula; Si non ambo interesse possint, ut solus Episcopus cognoscat. Accidit autem, ut Ludouicus causam cognoscere impeditus, alteri vices suas subdelegarit: quem Episcopus recipere noluit, quòd clausula: Si non ambo verificata fuerit; ideòque solus iudicando, suprà dictorū Iudicum senten-

tiam contra Capellanum confirmauit. Sed quia Capellanus, qui etiam appellat, sententiam Episcopi obseruare noluit, denique causa ad Sedem Apostolicam delata est, cui Innoc. III. Cardinalem quendam auditorem, seu cognitorem designauit; qui cùm videret, Clericum, seu Capellanum S. Agathæ cum instrumentis Ecclesiæ aduenisse, sed literas rati habitio- nis non attulisse, eam de rato habendo per fidei iussos cauere iussit, & postea Ferrariensis Episcopi sententiam confirmauit, atque Innocentius Papa approbauit.

SUMMARIVM.

1. Intra fines parochiæ non est noua capella seu parochialis ecclesia edificanda, edificata destruenda est.
2. Alterius causam agere permittitur coram iudice, et si mandato procuratoris careat; si secum causa instrumenta afferat, & cautionem fidei iussoriam de rato habendo præstet.
3. Delegatus subdelegatorum collegæ impediti non tenetur admittere, si in referro est clausula; si unus non potest solus procedat.

NOTANDVM I. Intra fines Parochiæ non est noua Capella; seu parochialis Ecclesia edificanda: Et, si edificata sit, destrui debet, c. 1. & 2. de noui operis nuntia. Præterquam si Ordinarius ex causa iusta id necessarium iudicet, c. 3. de Ecclesijs ædif. NOTANDVM II. Qui ad iudicium venit pro alio causam acturus, licet mandatum procuratoris, seu literas, quòd dominus rem ratam habiturus sit, secum non afferat, si tamen habeat secum instrumenta causæ, præsumptio est pro eius mandato, ut saltem cum cautione fidei iussoria, quòd dominus, seu principalis rem ratam habiturus sit, admittatur. Ita sumitur ex l. 1. C. de Procuratoribus; Cautio rati habitio- nis tunc exigunt à procuratore, quoties incertum est, an es negotium mandatū sit, & tradit Gl. hic ver. absq; literis. Innoc. princ. Abb. n. 2. & alij plerique. Verum alius intellectus, quem assert Anton. hic,

hic, Imola n. 9. Barbatia col. 1. i. improbabilis non est: quod Capellanus ideo sine mandato ad agendum admissus fuit, præstita cautione *de rato*, quia prosequeretur causam Ecclesie suæ, iuxta doctrinam Gl. receptam in c. cum olim, 34. de testibus, ver. per exceptionem. Quod clericus ad agendum pro Ecclesia sua etiam sine mandato admittitur, si caveat de rato. Vide quæ dixi in c. nonnulli, 28. not. 2. de rescript.

§ NOTANDVM III. Si duo Iudices dati sint, adiecta clausula, si vnus non possit, tum alter solus procedat; hoc casu si impedimentum incidat non voluntarium, sed necessarium seu inuitabile, quod minus ille procedere queat, ita tamen censetur purificata clausula, & rotum procedendi ius alteri acquisitum: Consequenter impeditus subdelegare nequit, aut certe subdelegatus ab ipso per exceptionem repellitur potest. Ita Gl. ver. quod non intelligitur, Innocent. n. 2. ubi ait, quod hoc casu delegatus impeditus subdelegare quidem possit, sed collega non teneatur eum recipere: Idemque docet Imola n. 31. Ratio est: Quia rescripta Principum intelligi debent secundum ea, quæ frequenter, non quæ raro contingunt: sicuti hoc ipsum de legibus dicitur in l. Nam ad ea, 5. ff. de legibus: Id autem frequens est, vt delegatus ipsemet causam cognoscere non possit, id autem per raro accidit, vt Iudex neq; per se, neq; per alium cognoscere queat: Ergo clausula illa, *Si non ambo &c.* secundum priorem, non posteriori intellectum accipi debet. Veruntamen cum delegatus Principis ius habeat causam alteri subdelegandi, si impeditus sit, hoc iure uti poterit, nisi propter clausulam illam, quæ in fauorem collegæ adiecta censetur, contra subdelegationem excipiatur.

CAPITVLVM XXXV.

Cum R.

PARAPHRASIS.

Rapbael Canonicus Iannensis Ecclesie in controuersia, quam habebat cum Publico

ciue Iannensi, a Papa impetrauit Præpositum S. Dominici: Sed cum is ciuem tunc absentem citasset, is excusauit, quod propter multas & graues inimicitias ciuitatis suæ se coram Iudice illo sistere non posset. Quo intellecto Innoc. III. rescriptit Præposito, quatenus dicto Raphaeli permittat, vt seu in ciuitate, seu in dioecesi Iannensi eligat virum prudentem (exceptis canonicis fratribus suis) coram quo causa cognoscatur; eidemque Iudici Apostolica auctoritate præcipiat, vt dictam causam, secundum prioris tenorem remota appellatione definiat.

SUMMARIVM.

1. *Iusta causa non comparendi est, si citatus ad locum securè accedere non possit.*
2. *Conceditur iuxta stylum Curie certus Iudex à parte vna postulatus, si pars aduersa non contradicat.*
3. *Recusari potest Canonicus vt suspectus Iudex in causa Canonici.*
4. *Si principalis iusserit alicui, vt Iudicem aliquem constituat, constitutus is censetur à mandante, non ab exequente.*

NOTANDVM I. Iusta causa non comparendi est, si citatus ad locum securè accedere non possit. Interdum verò saluus conductus securitatem præstare poterit. Interdum opus erit Procuratorem mittere, si is tutum accessum habeat, & causa ardua non sit. Quæ de re vide, quæ hic scribit Felinus n. 2.

NOTANDVM II. Si pars vna certum Iudicem in causa delegari postulet, stylus Curie est, vt concedatur; dummodo aduersarius contentus sit, aut iustam contradicendi causam non afferat. Ita sumitur ex c. nonnulli 28. de rescript. & notat hic Abb. in fine. Barbat. col. penult. Monet tamen Imola hic n. 15. & Gl. in l. obseruandum 47. ff. de Iudicijs, si vtraque pars præsens sit in Curia, non dari Iudicem secundum vnus tantum partis petitionem. Quod verò in hoc casu potestas

Nnnn 2 eligen-

eligendi Iudicem quemcumque facta sit Raphaeli, ea secundum Gl. fin. in hoc c. specialis gratia fuit, ideo fortasse concessa: quia prius etiam Aduersario gratia facta fuit, quando ad petitionem eius prior Iudex remotus est.

3 NOTANDVM III. Canonicum in causa Canonici aduersarij tui tanquam Iudicem suspectum recusare potes, propter praesumptionem affectionis singularis erga socium & fratrem. Qua de re dixi in c. causam, 17. & c. insinuante, 25. hoc tit.

4 NOTANDVM IV. Si principalis iusserit alicui, ut Iudicem aliquem constituat, constitutus is censebitur a mandante, non ab exequente. Ita notat hic Felinus n. 3. cum Gl. in Clem. dudum, §. Huiusmodi, ver. obventionibus omnibus, de sepulturis, Abb. in c. in causis, 30. n. 5. de elect. ubi ait, Quod fit per executores, aut commissarium (secundum committentis voluntatem) id censetur fieri ab ipso committente, argum. l. vnum ex familia, 67. §. 1. ff. legat. 2. ubi Bartolus exemplum affert: Si testator aureorum summam legarit ad pias causas arbitrio executoris applicandas, is verò applicet ad Ecclesiae fabricam, ornamenta, aut luminaria, non exigi posse portionem canonicam, dummodo non fiat in fraudem Episcopi, iuxta c. ult. de testament. & dixi de hoc lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. ult. n. 13.

CAPITVLVM XXXVI

Cum contingat.

PARAPHRASIS.

Si aliquis questus fuerit apud Pontificem, quod ab Episcopo suo post appellationem legitime interpositam, vel aliàs iniuste excommunicatus fuisse, Pontifex autem Iudicibus delegatis mandarit, si ita se res habeat, ut hominem absoluant; vel sententiam excommunicationis irritam esse declarent: verum Episcopus contrarium ostendere paratus sit, quod videl. ante appellationem interpositam, vel aliàs iuste excommunicauerit, quid tum agendum? Respondet Innoc. III. Hoc casu vtriusque

partis probationes admittendas esse; nam ex ijs apparebit, vtrum excommunicatio iusta, an iniusta, vel omnino nulla fuerit. Caeterum si quis proponat se iniuste excommunicatum fuisse, tum ordinariè statim absolvendus est, antequam eius probationes admittantur: Praterquam si alferat, in sententia errorem intolerabilem expressum fuisse; idque se mox ostenturum. Et in hoc ipso casu, si videl. quis dicat, iniuste se excommunicatum esse, Episcopus ad probationes, quod iuste excommunicarit, admittendus non est, antequam homo ille absoluator: quia tamen si constaret recte excommunicatum fuisse, tamen humiliter petenti absolutio impetrenda foret: quare non nisi post absolutionem vtriusque partis probationes admittendae sunt, ut appareat iuste, an iniuste excommunicatio illata fuerit.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatus super sententia excommunicationis triplicem petitionem ponere potest; & quis cuiusque effectum.
2. Testium depositiones concordanda, si fieri potest, aliàs fides habenda maiori numero, digniori, aut qui verisimiliora & magis consona deponunt.
3. Exceptiones & probationes non admittenda, si inutiles & nihil profutura sunt, vel tempore non competente proponantur.

Pro intellectu huius c. aduerte, quod excommunicatus triplicem petitionem super sententia excommunicationis proponere possit: Prima est, dicendo sententiam esse ipso iure nullam, ut quia post interpositam appellationem lata fuit, vel quia intolerabilem erroris errorem continet, sicuti explicavi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 2. Et hoc casu ante omnia Iudex cognoscere debet de valore excommunicationis: quia si irrita esset, frustra absolutio conferretur. Altera est, dicendo sententiam esse iniuste seu illicite latam; non negando tamen valide latam esse: Et hoc casu ante omnia a Iudice absoluedus erit, si promittat Ecclesiae mandatis se parturum: postea autem receptis vtriusque probatio-

bationibus cognoscendum, iuste ne, an iniuste excommunicatus fuerit. Quia siue vnum siue alterum ostendatur, parum refert ad absolutionem; cum vtroque casu conferenda sit, si satisfacere Reus paratus sit. Tertia est simplex petitio absolutionis, non allegando iniustam, vel irritam esse: Et hoc casu censetur supplicans fateri excommunicationem suam, ut bene hic docet Barbat. col. 2. arg. l. ad solutionem, §. C. de re iudic. vbi dicitur, quod à iudice petens solutionis dilationem, sententiæ eius acquiescere conuincitur.

2. **EXTENTU** autem **NOTANDVM** est I. Quod interdum ab vtraque parte litigantium testes recipiantur, quorum depositiones, si fieri possit, ad concordiam redigi debent, ne perjurij crimine notentur, c. cum tu, §. 6. de testibus. Sin id fieri nequeat, quia prorsus contraria inter se dicunt, tum fides habenda est testium numero maiori, digniori, aut qui verisimiliora, & magis consonantia deponunt, de qua re Gl. hic ver. vtriusque partis, Barbatia col. 11. Abb. n. 7.

3. **NOTANDVM** II. Exceptiones, & probationes admittendæ non sunt, si vel inutiles, & nihil profuturæ sint, l. ad probationem, §. 1. C. de probat. Vel tempore non competente proponantur, ut hic. Si tamen Iudex, exceptiones, quæ suapte natura profunt, licet non debito tempore afferantur, eandemque probationes, sine protestatione, admittat, tum sententiam super eis proferre debet, uti Gl. hic docet, & sequitur Abb. n. 8. afferens exemplum, Si quis contra executionem sententiæ, posteaquam ea transit in rem iudicatam, excipiat esse iniustam, licet hæc exceptio tunc repellenda sit, iuxta c. inter Monasterium, de re iudic. si tamen ea à Iudice admittatur, & cognoscatur, tum etiam sententia proferri debet super iniustitia. Et hunc esse vnum casum, inquit, in quo sententia, posteaquam in rem iudicatam transit, retractari debeat. Alterum verò casum esse, si pars victrix fateatur, sententiam fuisse iniustam, secundum doctrinam Innoc. in c. quia plerique, n. 3. de immunit. Ecclesiar. Et tertius casus esse debet, si notorium sit aut fiat, sententiam iniuste latam esse. **Quorum**

omnium ratio est; quia præsumptio iuris, & de iure, quæ pro iustitia rei iudicatæ esse solet, cedere debet contrariæ veritati cognitæ, aut probatæ. Videri tamen possunt, quæ contra dictam Abb. doctrinam obijcit Barbat. hic.

CAPITVLVM XXXVII.

Venerabili.

PARAPHRASIS.

Cum Cephaludensis Episcopus à Friderico II. Imperatore spoliatus esset, Honorius III. mandauit Archiepiscopo Cusentino, ut illum ad Episcopatum, & alia sibi erepta restitui curaret; eoque plenè restituto, atque corporalem & pacificam possessionem adeptus, si Episcopus ob dilapidationem bonorum meritò suspectus est, virum prouidum & honestum coadiutorem eidem adiungat, sine cuius consilio nihil circa temporalia administrare debeat, donec Pontifex, veritate plenè perspecta, aliter prouideat: interim verò vtrique omnne genus alienationis interdictum sit.

Sed quia Archiepiscopus corporis infirmitate impeditus erat, causam hanc primum Abbati Panormitano, postea Theaurario Cusentino subdelegauit. Vtriusque autem processus Pontifex Honorius cassauit: Abbatis quidem, quia contra Apostolici rescripti formam, priusquam Episcopus restitutus esset, inquisitionem de ipso instituit, an de dilapidatione suspectus sit. Theaurarij verò, quia Archiepiscopus non poterat illi causam committere, posteaquam officio suo functus fuerat.

SUMMARIUM.

1. *Spoliatus iniuste ante omnia plenè restitui debet.*
2. *Si Episcopus & alius Prelatus ecclesiasticus suspectus de dilapidatione bonorum est, Coadiutor ei interdum datur, ita vt non omnis administratio, bono-*

Nun 3 ruro

um tamen alienatio ei penitus interdicitur; interdum si maius periculum sit, interdicitur ei administratio in temporalibus.

3. Si delegatus Principis causam totam subdelegavit, functus est officio suo, postquam subdelegatus causam agere cepit.
4. Delegans delegatam à se potestatem revocare potest valide & licite, si iustam revocandi causam habeat.
5. Princeps aut quicumque Ordinarius iurisdictionem, etiam ad universitatem causarum contentiosam aut voluntariam in externo vel interno foro delegans, eam pro libitu suo revocare potest.
6. Revocare possunt etiam inferiores Ordinarii, eorumque Successores privilegia & facultates, si merè gratuito concesserint, ita ut non transferantur in donationem aut pactum propter aliquid vicissim receptum.

NOTANDUM I. Spoliatus iniuste ante omnia plenè restitui debet, ita ut corporalem possessionem rerum ereptarum, mobilia & immobilia, vna cum fructibus recuperet. Ita habetur etiam in causa 2. q. 2. c. 1. & seqq. & tradit Gl. hic ver. plenarie, Innocent. n. 1. Abb. n. 2. Barbat. col. 3. Videri potest c. 1. de restit. spoliat. in 6.

NOTANDUM II. Si Episcopus, aliusve Ecclesie Prælatus de dilapidatione bonorum non immeritò suspectus esse summaria inquisitione ac processu cognoscatur, interdum à Superiore (qui comparatione Episcopi, Summus Pontifex est) Coadiutor ei datur, ita ut licet non omnis administratio, tamen bonorum alienatio ei penitus interdicitur, sicuti hic notat Abb. n. 8. Imola n. 2. Barbat. col. 4. & 18. Gl. in c. licet Heli, 31. ver. de dilapidatione, de Simon. Interdum verò, si maius periculum esse videatur, statim suspenditur, seu interdicitur ei administratio in temporalibus, iuxta cit. c. licet Heli, & c. ult. de accusat. & videri potest Archidiaconus in c. Vulteranæ, 25. causa 12. q. 2. Postea verò plenus, & ordinarius processus in-

stituitur, ut appareat, quomodo Ecclesie prouidendum; & num Prælatus omnino proponendus sit. Sed potest etiam, non præsumpta inquisitione, an suspensus sit, statim fieri processus super veritate, videl. dilapidatione, si de ea infamatus sit, vel acculator aut denunciator adsit, qui ob Ecclesie periculum amovendum, per testes, aliave indicia veritatem demonstrare paratus sit, vti hic Abb. notat n. 8.

NOTANDUM III. Si delegatus Principis causam totam alteri subdelegavit, cesset functus officio suo, postquam subdelegatus causam agere cepit. Quamobrem ex eo tempore non potest le amplius immiscere, aut commissionem factam ad se revocare, aut alteri committere. Ita notat Gl. hic communiter recepta, ver. vices suas. Sed dum res integra erat, seu subdelegatus nondum iurisdictione uti cœperat, poterat subdelegans potestatem revocare, vti Gl. mox ver. non potuit. Quia id commune est omni commissioni ac mandato, ut dum res integra est, potestas commissa ad mandantem magis spectare censetur, idè què arbitratu eius revocari possit. Consentit c. quamuis, 6. eod. in 6.

Sed obijei potest: Quòd processus Abbatibus contra formam rescripti Apostolici (que perinde à subdelegato, vti à delegato obsequanda erat) institutus, omnino irritus fuerit; Ergo eo non obstante, poterat se immiscere Archiepiscopus, qui ei commisit. Respondeo, cum Imola hic n. 28. Quòd Abbas causam sibi commissam agere cœperat, quando eos, qui violentiam Episcopo intulerunt, citavit, licet postea perperam processerit. Vide quæ dicta sunt supra c. gratum, 20. hoc tit.

QUÆRES: An ipsemet delegans delegatam à se potestatem revocare possit. Respondeo dico I. Certum est, quòd revocare possit, si res integra sit, seu iudicium nondum cœperit. Sed etsi cœptum fuerit, saltem valide revocabit; quin etiam licite, si iusta revocandi causa subsit: ut quia, sublato impedimento, ipsemet causam cognoscere vult: dummodo delegatum indempnem servet; ne ipsi ob-

cium suum damnosum sit. Nam ita etiam de alijs mandatarijs, ac procuratoribus, docent DD. in §. recte, Infit. de mandato, & videri potest Mol. tomo 2. disp. 552. n. 6. & quæ dixi lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 6.

5 Dico II. Si Princeps, aut quicumque Ordinarius iurisdictionem, etiam ad vniuersitatem causarum, contentiosam aut voluntariam, in externo vel interno foro delegarit, eam arbitratu suo reuocare potest. Ita ex cōmuni docet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 26. sect. 3. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 33. n. 6. vbi monet, hanc doctrinam maximè veram esse, si Princeps iurisdictionem alicui etiam gratis commiserit v.g. ad dispensandum, legitimandum, à peccatis absoluendum. Quia, vt Baldus monet in l. 3. n. 10. C. de bonorum possels. vnde liberi, in concessione iurisdictionis semper intelligitur excepta suprema potestas Principis. Sed & inferiores Ordinarij eorūque successores priuilegia & facultates reuocare possunt, si merè gratuita data sint, ita vt non transferint in donationem aut pactum, propter aliquod vicillim receptum, sicuti idem Baldus monet, & legi possunt, quæ docui lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 15. & seqq.

CAPITVLVM XXXVIII.

Significantibus.

PARAPHRASIS.

Juliana nobilis vidua, mentiens se pauperem literas à Sede Apostolica ad quosdam Iudices impetrauit super controuersia, quæ habebat cum Margaretha & filio eius. Hi citati coram Iudicibus excipiendo proposuerunt, quòd literæ subreptitiæ essent, quippe per suggestionem rei falsæ obtentæ, cum Juliana diues esset: quamobrem coram Domino, sub cuius iurisdictione erant, se conueniendos esse, & non coram alijs Iudicibus, illo non requisito. Hoc audito, Iudices illi delegati interloquendo pronuntiarunt, se vigore earum literarum procedere non posse. Deinde verò partes

compromiserunt in arbitros, hac conditione, vt si ij intra tempus ipsis constitutum, causam non deciderent, ad eisdem illos Iudices denuo deuolueretur. Cùm autem arbitri intra tempus definitum non pronuntiarent, iudices delegati iurisdictionem, iuxta compromissi formam, resumpserunt: Sed cùm partes se grauari ab illis sentirent, ad Sedem Apostolicam appellarunt: Eòque cognito processu Gregor. IX. respondit, acta eorum Iudicum irrita declaranda esse.

SUMMARIUM.

1. *Iudex ecclesiasticus in causis civilibus personarum, alterius temporali iurisdictioni subiectarum, ordinariè se non intromittit, nisi in extraordinarijs casibus, videl. propter defectum & negligentiam secularium Iudicum; item in causis personarum miserabilium, quales sunt pauperes, & oppressi, & ope destituti.*
2. *Si Iudex delegatus pronuntiat, sibi nullam iurisdictionem competere, parte non appellante à sententia hac interlocutoria, transit ea in rem iudicatam.*

PRO intellectu huius c. aduerte; Quòd Iudex Ecclesiasticus in causis civilibus personarum, alterius temporali iurisdictioni subiectarum ordinariè se non intromittat, iuxta c. nouit, 13. de iudic. c. causam, 7. Qui filij sint legitimi: sed in quibusdam casibus extraordinarijs, videl. propter defectum, seu negligentiam Iudicum secularium, c. licet, 10. de foro compet. Item in causis personarum miserabilium, cuiusmodi sunt pauperes, & oppressi, atque ope destituti, c. super quibusdam, 26. in fine, de verb. signif. c. 1. & 2. d. 87. Hæc itaque causa fuit, cur rescriptum & delegatio Apostolica subreptitiæ iudicata sit, quia eam causam Pontifex nō suscepisset, sed ad proprium seculare forum ablegasset, si viduam nobilem ac diuitem esse sciisset. Vide quæ dixi lib. 4. tr. 9. c. 2. n. 2. & 3.

NOTANDVM Vn. Si Iudex delegatus 2 pro-

pronuntiet, sibi nullam iurisdictionem, seu ius de causa hac cognoscendi competere, & pars litigans à sententia hac interlocutoria non appellet, iuxta c. dilectus 34. de prebend. transit ea in rem iudicatam: vt postea officium Iudicis in eadem causa, sine noua commissione assumere non possit: Ne quidem ex partium consensu; cum partes nullam habenti iurisdictionem conferre non possint, l. priuatorum, 3. C. de iurisdic. Ita Gl. h. c. ver. procedere, Barbat. col. antepen. Quemadmodum enim, inquit h. c. Abb. n. 7. Si orto dubio de valore rescripti, Iudex pronuntiet iurisdictionem sibi competere, & pars non appellet, processus validus ceteri debet, propter rei iudicatæ auctoritatem, vt idem docuit in c. super literis, 20. in fine, de rescript. Ita & vice versa, si Iudex delegatus iudicet contra valorem rescripti, & pars impetrans non appellet, non poterit deinde Iudex procedere, quia officio functus censetur.

Objicies: Si Iudex iurisdictionem aliquam habet, tum partes in ipsum consentiendo iurisdictionem eius prorogare possunt, l. i. ff. de Iudicijs. Sed rescriptum ad lites subreptitium, cum non sit ipso iure nullum, sed tantum ope exceptionis, c. 3. & c. plerumque 23. de rescript. Iudici delegato iurisdictionem aliquam confert, vt h. c. Abb. docet n. 8. Ergo partes consentiendo in hos Iudices potuerunt illius iurisdictionem confirmare, & quodammodo prorogare. Resp. Licet partes consentiendo in Iudices delegatos possint supplere defectum iurisdictionis, qui est ex parte rescripti subreptitij, non tamen eum, qui est ex parte obiecti, ipsiusque veritatis; quandoquidem in casu nostro causæ ciuiles personarum non miserabilium non pertinent ad Iudicem Ecclesiasticum, nisi ob negligentiam Iudicis laici. Sed vt r. interueniente postea negligentia Domini secularis, Iudices in huius rescripti, saltem ex partium consensu procedere potuerint, merito dubitari potest. Affirmat Abb. loco cit. Sed arbitrator, probabilius negari: cum non sit consuetudo Ecclesiasticorum Prælatorum, vt causas seculares committant, antequam ad ipsos deuolutæ sint, vt bene annotauit Innoc.

hic n. 1. Igitur hoc rescriptum ex errore substantiali promanans, omni iure irritum fuisse videtur, per quod nulla omnino iurisdictione collata fuerit.

CAPITVLVM XXXIX.

Suspicionis.

PARAPHRASIS.

Quidam Iudex delegatus à Reo vt suspectus, recusatus erat. Ad causam hanc suspicionis cognoscendam arbitri à partibus electi sunt: Sed dubitabatur, vt r. Iudex recusatus arbitris terminum præfinire possit, intra quem cognoscere debeant. Respondet Gregor. IX. Quod nõ possit, cum ipse in hac causa suspectus sit, ne forte noceat: sed ipsimet arbitri partibus terminum ad probationes suas afferendas statuere, sicut & alia omnia agere debent, quæ ad hunc suspicionis articulum spectant. Verum Iudex delegatus (cui vnà cum iurisdictione, reliqua etiam, sine quibus ea exerceri nequit, commissa censentur) arbitros compellere potest, vt vel concordent in eadem sententia, vel tertium arbitrum aduocent, cum quo vnus, vel ambo consentiant: ne alioquin causæ principalis definitio plus iusto differatur.

SUMMARIUM.

1. Si Iudex recusetur, eligendi sunt arbitri ad causam recusationis cognoscendam, nisi ea in iure expressa, aut alias notoria sit, aut recusatio manifeste iniusta vel frivola.
Item si duo Iudices delegati sint cum clausula: Si non ambo potestis, &c. alter de alterius recusatione cognoscat.
2. Si arbitri duo non concordent, tertius ab eis eligendus est, qui eorum discordiam dirimat.
3. Etsi arbitri voluntarij non cogantur arbitrium suscipere; cogi tamen possunt, qui ex iuris necessitate eligi debent.

NOTANDVM I. Si iudex vt suspectus recusetur, ex causa probabili, quæ si probata fuerit, legitima reputabitur (ait Gl. hic ver. suspitionis causa) tum ex partium consensu arbitri eligendi sunt, qui de tota causa suspitionis cognoscant, per potestatem ipsis à iure collatam, vt Imola hic obseruat n. 11. Ita etiam habetur in c. cum speciali, 61. de appellat. & c. 2. eod. in 6. & videri potest Ioann. Andr. hic.

Excipe primò: Si causa recusationis in iure expressa, aut aliàs notoria, seu indubitata sit; aut si recusatio Iudicis manifeste iniusta, aut friuola est, his casibus opus non est, vt in arbitros cõpromittatur, sicuti Gl. notat incit. c. cum speciali, ver. iusta suspitionis.

Excipe secundò: Si duo Iudices delegati sint cum clausula, *si non ambo potestis, &c.* tum de causa suspitionis, vni obiectæ, alter cognoscere potest, c. si contra 4. eod. in 6.

NOTANDVM II. Si duo electi arbitri non concordent, cogi debent à Iudice ad eligendam personam tertiam, cuius auctoritate discordia eorum dirimatur. Ita etiam de voluntarijs arbitris habetur in l. Item si vnus, 17. §. principaliter, ff. de recept. qui arbitrium, c. innouit, 12. de arbitris. Posteaquam verò arbitri sententias suas in discordia dixerunt, videntur esse functi officio suo, vt tunc nihil amplius agere possint: quamobrem hoc casu ad Superiorem recurrendum est, arg. c. vlt. de sent. & re iudic. & tradit hic Ioan. Andr. n. 9. Abb. n. 11. contra Speculatorem in tit. de recusat. §. vlt. ver. Quid si arbitri electi, Imolam hinc n. 21. qui dicunt, arbitros, etiam post latas à se diuersas sententias posse tertium vt diuorem eligere, cum textus c. huius nihil distinguat, num sententia lata sit, an ferenda. Quam sententiam ob auctoritatem Speculatoris probabilem, imò & æquitati consonam esse, ne causa delegata maneat indiscussa, censet Abb. hic, quamuis prior, vt dixi, de iure verior.

Denique notat Gl. communiter recepta ver. Ad quos, Tamen si arbitri voluntarij non cogantur arbitrium suscipere, l. 3. §. 1. ff. de receptis, qui arbitrium, & c. secus tamen sentiendum de his arbitris, qui ex iuris necessi-

tate eligi debent, eos ad suscipiendum id munus compelli posse.

CAPITVLVM XL.

P. & G.

PARAPHRASIS.

Publius, & Gaspar Mercatores, literas Apostolicas contra Episcopum Londonensem impetrarunt ad Abbatem S. Genouefa, in causa mutui, quod suo loco & tempore ipsis persolutum non fuerit. Pendente hoc iudicio, ad eundem Abbatem, Apostolicum delegatum, Innocentius laicus accessit, qui & ipse mercatori pecuniam debebat, asserens coram Abbate, nisi debitum intra terminum constitutum solueret, vt excommunicationis & interdicti sententiam in ipsum, & terram eius promulgaret. Re hac intellecta, respondit Gregor. IX. censuras ea occasione latas ab Abbate in dictum Innocentium irritas esse: Cum enim is Abbatis iurisdictioni subditus non esset, non potuit eius iurisdictionem prorogare: quia delegata iurdictio de persona in personam non extenditur: tamen si Iudex ille delegatus, videl. Abbas, ordinariam etiam iurisdictionem aliquam habeat.

SUMMARIVM.

1. *Promittens certo loco, aut tempore solutionem, si in mora sit, compensare debet, quatenus creditoris interest, solutionem iuxta conuentionem factam non esse.*
2. *Reus obligare se potest coram iudice suo, nisi intra tempus desinitum praestiterit, ad quod de iure obligatus est, vt excommunicationis vel interdicti pena subiaceat.*
3. *Iurisdictione delegata non potest prorogari seu extendi de persona in personam, nisi in duobus extraordinarijs casibus.*
4. *Etiamsi ea concurrat cum ordinaria.*

OOOO NOTAN-

1 **NOTANDVM I.** Qui promisit certo loco, aut tempore se soluturum, si eo loco, aut tempore (dummodo is in mora sit) nō soluat, compensare debet tum dampnum inde emergens, tum lucrum cessans, adeoque quatenus interest creditoris, solutionem, uti conuentum erat, factam non esse. Ita habetur in l. 2. ad finem, & l. 3. ff. de eo quod certo loco, & docet hic Gl. communiter recepta, ver. loco, & termino.

2 **NOTANDVM II.** Reus obligare se potest corā Iudice suo, nisi intra tempus definitū præstiterit, ad quod de iure obligatus est, ut excommunicationis, vel interdicti pœnæ subiaceat. Ita docet Gl. hic ver. promulgares, quam DD. communiter sequuntur, uti videre est apud Abb. num. 6. Imolam n. 25. Quemadmodum, inquit Gl. aliquis se obligare potest sub pœna beneficij amittendi, c. cum dilectus, 3. 2. prope finem, de elect. & c. ult. iun. Gl. ver. causæ, de crimine falsi.

Verū hæc dicta declaratione indigent: Nam ad pœnam amittendi beneficij clericus se obligare potest, cum ordine ad Superioris voluntatem, per quam priuari possit, uti bene admonet hic Gl. marginal. Quod verò atinet ad censuræ, v. g. excommunicationis sententiam inferendam, nisi debitum v. g. intra definiti temporis terminum solutum fuerit, distinguendum est: Vel enim Reus subijcit se *sententia postea ferenda*; tunc intelligi id debet secundū iuris communis dispositionem, ut antecedit monitio, & cognoscatur de contumacia. Quare hoc casu promittens non nouam obligationem contrahit, sed priorem grauiorem facit, quando cum excommunicationis sibi inferendæ mentione se obligat, iuxta c. Ego Berengarius, 42. d. 2. de consecrat. Vel Reus subijcit se *sententia lata* sub conditione, si non satisfecerit. Et hoc fieri non potest, nisi Iudex velit, & exprimat, se ea seueritate præcipere Reo, ut si intra tempus præfixum non satisfecerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat. Quo casu opus non erit alia monitione: quia ipsum præceptum, iusta de causa ita lætū perpetuò admonet, uti ex communi tradit Suarez de censur. disp. 3. sect. 8. n. 5. Necessè tamen est, ut Iu-

dex, priusquam hominem pro excommunicato habeat, ac denuntiet, eodem ad se citato, de crimine contumaciæ cognoscat: quia fieri potest, ut aliquid ante terminum lapsum superuenerit, quod eum excusaret, & inculpatum reddidit; ut quia soluere non potuit, aut non debuit, eò quòd creditor ipsi condonarit. Qua de re legi potest Innocent. hic, Ioan. Andr. n. 3. Felinus n. 2. Suarez cit. disp. 3. sect. 6. n. 8.

NOTANDVM III. Iurisdictio delegata non potest prorogari, seu extendi de persona in personam. Ratio est: Quia iurisdictio delegata, cum potius ad delegantem pertineat, quàm ad delegatum, sua pte naturà strictæ interpretationis est, & vitra terminos commissionis non extendenda. Excipe primò: Quòd ad personas, quæ per accidentia, siue accessorie veniunt, extendi possit iurisdictio delegati, ut si tertia persona, cuius interest, ius suum ponat coram delegato, ut etiam supra indicauimus in c. cum super, 23. not. 1. hoc tit. vel si coram delegato fideiusor datus compellendus sit ad satisfaciendum. Qua de re Felinus hic num. 5. Excipe secundò: Quòd iurisdictio delegati ad vniuersitatem causarum prorogari possit, secundum probabilem doctrinam Gl. in l. 1. ver. qui tribunali, ff. de iudicij, quam hic sequi videtur Felinus num. 6. fallent. 6. contra Abb. n. 5. Nam hæc iurisdictio ordinariè æquiparatur, secundum Gl. in c. cum causam, 62. ver. delegatus, in fine, de appellat. Iurisdictio autem ordinaria cum potestatem, ipsiusque Iudicis consensu ad personas alioquin non subiectas prorogari potest. cit. l. 1. iun. Gl. Verum ad hanc prorogationem requiritur tum voluntas, tum potestas se subijcientis Iudici. Defectu voluntatis inutilis est prorogatio, si quis ideo respondet coram Iudice, quia falsò existimat, se eius iurisdictioni subditum esse, uti notat Gl. in h. ver. prorogatio nulla. & Felinus hic, constitatq; ex l. si per errorem, 15. ff. de iurisdict. vbi & ratio assignatur: Cum non consentiant, qui errant: quid enim tam contrarium consensui est, quam error? Defectu potestatis clerici subijcere se non possunt laicorum iurisdictioni, cum exemptio Clericorum ob publicum

blicum Ecclesiæ fauorem constituta sit, c. si diligenti, 12. de foro compet. Sed neque in Ecclesiasticum Iudicem alienum, absque Ordinarij sui licentia, Clerici consentire possunt, iuxta c. significasti, 18. eod. tit. & tradit Inno. in c. de causis, 4. n. 1. hoc tit. Ratio afferri debet, quia quòd iurisdictione ad personas Iudici non subiectas ex earundem consensu prorogari possit, id Cæsareis legibus introduci potuit quoad subditos Imperij; non item quoad subditos alienos; cuiusmodi sunt Clerici. Ex quo resoluit Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 36. art. 5. ibid. Abb. num. 10. Quod exempti à iurisdictione Episcopi, & immediatè subiecti Papæ, tanquam proximo suo Ordinario, sine eiusdem consensu, Episcopali iurisdictioni subijcere se non possunt. Quod tamen intelligi debet secundum forum contentiosum. At verò in foro sacramentalis penitentia, ad absolutionem accipiendam à peccatis, & in actibus iurisdictionis voluntariæ ad petendam dispensationem in votis, legibus ieiuniorum &c. accedere possunt exempti ad Episcopum diocesisanum; ne alioquin cedat exemptionis priuilegium in ipsorum incommodum, contra iuris regulam 61. in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Idque notat Syl. ver. absolutio, 5. n. 2. & dixi lib. 1. tr. 4. cap. 23. num. 7. §. Denique.

4 His adde: Tametsi in eandem personam concurrant ordinaria iurisdictione, & delegata, ut si Episcopo causa aliqua à Sede Apostolica commissa sit, non posse prorogari iurisdictionem eius delegatam, uti ex textu huius c. constat.

CAPITVLVM XLI.

Cùm viceſimum.

PARAPHRASIS.

Qui viceſimum ætatis annum compleuit, iudex delegatus esse potest. Sed ante eam ætatem nemo delegari potest, præterquam

à Principe: Aut nisi partes scienter consentiant, ut alicui, qui tamen decimum octauum annum excessit, delegatio fiat.

SUMMARIVM.

1. *Iudex ordinarius in externo foro constitui non potest minor xxv. annis, nisi loci consuetudo aliud, vel Princeps minore natu constituat.*
2. *Delegatus esse potest, qui viceſimum annum compleuit; minoris adhuc ætatis esse potest, si à Principe ex certa scientia detur, vel in talem partes consentiant.*
3. *Minor xx. annis arbiter constitui nequit.*
4. *Mortuo Rege aut Principe successoris regni, vel principatus administratio permittitur subinde, modo pubes sit, in quibusdam tamen prouinciis plena pubertas, hoc est, ætas 18. annorum expectanda est.*

Circa quæſtionem hanc, quanta ætas in iudice requiratur, distinguere oportet, utrum sit Iudex ordinarius, an delegatus. Et num à Principe datus, an ab inferiore: Denique utrum ex partium consensu, an sine eo.

Igitur Dico I. Iudex ordinarius in externo foro constitui non potest minor xxv. annis, l. cum lege, 41. ff. de recept. qui arbitrium, &c. l. Ad Rempubl. 8. ff. de muneribus, l. non tantum, 11. ff. de decurionibus. Cùm enim minores natu ad propria administranda non satis idonei iudicentur, multò minùs ad Rempublicam administrandam, inquit Abb. hic n. 5. Excipe primò: Nisi consuetudo loci permittat, ut ante legitimam ætatem Iudices ordinarij creentur, uti significatur in cit. l. non tantum. Excipe secundò: Quòd minor natu à Principe Iudex constitui possit, quia censetur dispensare in ætate; dummodò ex certa scientia egerit, l. quidam, 57. iun. Gl. ver. decreuit, ff. de re iudic. & tradit Gl. communiter recepta in

Oooo 2 l. cum

l. cum Prator, 16. ver. & impubes, ff. de iudic. Vide Imolam hic & Abbatem.

² Dico II. Minor xxv. annis potest esse Iudex delegatus; adeo vt partes ratione solius ætatis recusare ipsum non possint: dummodò annum viceesimum compleuerit. Ita sumitur ex hoc c. & cit. l. quidam. Id verò speciale est, quòd inuitus non cogitur delegationem vel arbitrium acceptare: sin autem acceptauit, cogitur sententiam dicere: sed potest petere restitutionem in integrum, si ex imprudente acceptatione læsus sit, cit. l. cum lege.

Porro requisitum illud, quòd Iudex delegatus viceesimum ætatis annum compleuisse debet, limitandum est primò: Nisi Iudex à Principe datus sit, quippe qui in ætate dispensare potest. Requiritur tamen, vt Princeps ex certa scientia minorem annis xx. iudicem dederit: alioquin rescriptum subreptitium censebitur. Deinde valde probabiliter dicitur cum Imola hic n. 12. Abb. num. 2. quòd Princeps impuberem ad iudicandum inter partes habilitare non possit. Nam Principi concessum non est iura naturalia, & quæ gentium omnium communia sunt, mutare. §. naturalia, Instit. de iure natural. gent. & ciuili. Sed vt impuberes Iudices constituantur, à natura & omnium gentium consuetudine alienum est. cum iudicij maturitatem consecuti non sint, vt constat ex l. cum prator, 12. de iudic.

Limitandum est secundò: Nisi partes consentiant, vt minor xx. annis, dummodò octodecim annos compleuerit, iudex à non Principe delegetur, vt hic, & in cit. l. quidam. Sed compromissarius, vel arbiter, à partibus constitui non potest, qui minor est xx. annis, vt constat ex cit. l. cum lege. Rationem leges in Gl. hic ver. ætatem: quia multa sunt remedia in iudicio, vt supplicatio, appellatio, quæ in arbitrio non sunt. Cæterum, si arbiter eo tempore, quo sententiam inter partes præsentis fert, ætatem legitimam habeat, etsi ante assecutus non fuerat, valet quod agitur: quia partes denuò in illum compromittere censentur, dummodò scienter agant, vt Imola hic notat num. 8.

Barbat. col. antepen. vbi bene monent, seculis esse in iudice, quippe qui à partibus iurisdictionem accipere non potest.

Quæruni hic Abb. & Barbat. Si mortuo Rege, aut Principe successor legitimam ætatem non habeat, quamuis pubes sit, num regnum administrare possit, an verò administrator seu curator statuendus. Quam q. in vtramque partem disputat Ioan. Andr. in addit. speculi, quæst. 1. posteriorem eam partem eligens. Sed contrarium tenet Abb. & ita obseruari solet, vt regni administratio natu minori relinquatur, si pubes factus sit: In quibusdã verò prouincijs plena pubertas expectanda est, quæ 18. ætatis anno contingit, l. adrogato, 40. ff. de adoptione. Neque refert, quòd minor natu ad graues controuersias decidendas idoneus non sit. Nam etiam scemina ad iudicandum idonea nos censetur, reg. 2. ff. & tamen si ex successione ei regnum debeatur, administrationem habet; cum possit Iudices idoneos constituere.

CAPITVLVM XLII.

Vno.

PARAPHRASIS.

Si vnus ex Iudicibus delegatis, vel arbitris vitã excefferit, etiam aliorum officium expirat: nisi in delegatione, vel compromisso clausula adiecta sit, si non ambo, aut si non omnes, &c.

SUMMARIVM.

1. Potestas plurium delegatorum & arbitratorum expirat per mortem vniu. nisi clausula si non omnes, &c. adiecta sit, vel res integra non sit, &c.
2. Secus est in arbitratoribus.

NOTANDVM Vn. Sicuti mortuo vno delegatorum, aliorum potestas expirat, si res integra sit, sic etiam se res habet in arbitrariis, quòd mortuo vno delegato Iudice, aliterius vel aliorum plurium iurisdictione expirat.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si præter duos Iudices, Papa ex officio, aut partium consensu tertium delegat, is potest alteri subdelegare: propterea quod Pontifex delegans non intendat personæ providere, sed causæ. Idem quoque dicendum, si Papa committat Episcopo, Si non omnes potestis, tu frater, Episcope, cum altero Coidicum cognoscas, quod Episcopus vices suas subdelegare possit, ita ut alij sine subdelegata procedere non valeant.

SUMMARIUM.

1. *Delegatus Principis ordinariè subdelegare potest.*
2. *Delegatus Papa, cui personaliter executio mandata sit, potest partibus consentientibus alteri delegare, nisi ei commissum sit inquisitio, vel pronisio de Prælati, salvisue ministris Ecclesiæ.*
3. *Si clausula aut conditio commissioni adiecta sit in partium favorem, ab ea recedi potest cum earundem consensu: non item, si adiecta sit ob publicam utilitatem.*
4. *Delegatus Principis, si eius industria ac fides electa est, subdelegare non potest. Et quando censeatur eius industria & fides electa.*
5. *Cui nudum ministerium personaliter exequendum committitur, ipse plerumque exequi debet.*
6. *Quod si sub nomine dignitatis alicui committatur, transit ad successorem.*
7. *Et si extra Curiam alicui talis commissio fiat nudi ministerii, ut hominem excommunicet, vel absoluat, ratione illius competit ei iurisdictio.*

PRo intellectu notant hic Imola n. 2. Abb. n. 3. Barbat. col. 2. Si partes in Curia
Oooo } præ-

rat, constat etiam ex c. licet, 30. hoc tit. & c. Raynaldus 18. de testament. Ratio verò est, quæ affertur in l. duo ex tribus, ff. de re iudic. Quia omnes simul iudicare iussi sunt. Excipitur verò primò: Nisi clausula, si non omnes &c. adiecta sit. Secundò, Si res integra non sit, sed iudicium agitari cœptum, tum vnius morte non extinguitur iurisdictio aliorum, cit. c. licet, & notat Gl. hîc, ver. delegatorum. Tertio, Si vnus alteri vices suas commiserit, illo mortuo iurisdictio manet, etiam si res integra sit, c. quamuis, 6. hoc tit. Quarto, Si delegatio facta sit intuitu dignitatis: quia morte delegati non extinguitur, sed ad successorem transit, c. quoniam, 14. hoc tit.

Ampliari autem debet tradita doctrina, ut locum etiam habeat, si alter Iudicium iudicandi potestate priuatus sit, ut quia infamis relictus est iuris infamia, ut colligitur ex c. seiscitatus, 14. de rescript. & docet Gl. cit. Vel si ob crimen à dignitate, quam habet, per sententiam depositus, sicuti dixi in cit. c. quoniam, & c. licet,

Quæri solet: Quod hic dicitur de arbitris, utrum etiam locum habeat in arbitratoribus? Et respondet affirmatiuè Ioann. Andr. n. 2. Abb. n. 4. Quia generali arbitratorum appellatione etiam arbitratores comprehenduntur, ut constat ex l. societatem, 76. §. arbitratorum, ff. pro socio. Quare regulam hîc tradit Abbas: Quod iura facientia metiorem de arbitris, etiam ad arbitratores referri debeant, nisi ratio diuersitatis appareat. Verùm si per arbitratorem intelligamus eum, qui ius partibus non dicit, sed amicabiliter eas componit, eum nomine arbitri non comprehendendi, dicitur in l. Pomponius §. recepisse, ff. de receptis qui arbitrium, & notat Bartolibi, Arbitreres inquit, qui inter partes Iudicis officium assumit, non qui amicabiliter componit. Quare quæ his c. de arbitris dicuntur, transferri non posse ad arbitratores, qui ius partibus non pronuntiant, annotauit Barbat. hic col. 2. Vide quæ dixi lib.

4 Th. mor. tr. 5. c. 11. n. 6.

* * *

præsentes sint, non dari Iudicem ad petitionem vnus, iuxta Gl. in l. obseruandum 47. ff. de iudic. Sed vtrique parti permitti, vt Iudicem sibi delegent, atque ad faciliorem causæ expeditionem, tertium superaddi ex partium communi consensu, aut, si consentire nequeant, ex officio Papæ. Præterea Pontifex interdum ex tribus deputatis Iudicibus vnum præeligere solet. *Si non omnes, tu Episcopo &c.* Quo casu, Episcopus vno collega mortuo procedere potest cum altero: sed non vice versa ambo illi absque Episcopo.

Ait itaque Pontifex, non obstante hac præelectione, posse præelectum alteri subdelegare: Item, non obstante, quod Iudex tertius communi partium consensu electus sit, posse eum alteri vices suas committere: quod intelligendum videtur, etiam non requisito consensu ipsarum partium, secundum Gl. hic ver. negotijs. Ioann. Andr. & Abbat. hic n. 5. contra Specul. hoc tit. §. Sequitur, princ. Id verò probabilius est, quod idem Specul. tradit, quod Iudex tertius, qui veluti diremptor ex partium consensu, vel ex officio Papæ deputatus est, non possit vices suas committere alterutri Iudicæ, quem pars sibi delegit.

NOTANDVM Vn. Delegatus Principis ordinariè potest causam alteri subdelegare. Neque præsumendum facillè est, quod in commissione electa fuerit industria personæ. Quia Princeps attendere nõ solet ad personas, quibus committitur; sed potiùs ad causas, vt citò expediatur. Quare alia ratio est de gratijs ac priuilegijs, quæ in fauorem personarum conceduntur, atque idcirco in alias personas transfundi non possunt, vt dixi etiam supra in c. super quæstionũ, 27. hoc tit.

§. Is autem.

SI cui à Papa causa commissã sit, ita vt eam personaliter exequatur, nihilominus eam partibus consentientibus alteri delegare potest: præterquam si mandatum sit, vt inquisitio aliqua fiat, vel Ecclesijs prouideatur de Prælati, alijsue Ministris: tum enim,

singulariter censetur electa industria, ac fides personæ, cui commissio fit.

NOTANDVM I. Si clausula, aut conditio commissioni adiecta sit in partium fauorem, ab ea recedi potest cum earundem consensu expresso, aut tacito. Sin autem ob publicam vtilitatem adiecta sit, tum locum habet regula: *Quod forma rescripti exakte seruari debeat, alioquin acta irrita sint, c. venerabili, 37. hoc tit. c. cum dilecta, 22. de rescript.* Ita bene hic docet Innocent. n. 1. Quia partes, inquit, renuntiare his possunt, quæ pro ipsis introducta sunt, non autem ijs, quæ pro publica vtilitate, aut Iudicis officio decreta.

NOTANDVM II. Si Princeps industriam ac fidem à se delegati elegerit censetur, non potest is alteri causam subdelegare. Consentit c. 3. hoc tit. Porro industria Iudicis delegati specialiter electa censetur: Primò; Si ipsa verba expressè significent, vt dicatur, *Per te ipsum, seu personaliter exequaris; item, confidimus de industria, ac discretionem tuam;* dummodò appareat, quod hæc verba referantur ad ipsam causæ cognitionem, & non ad expeditionem quamcunque. Quia si delegatus idoneæ personæ subdeleget, factis prudenter prouidisse censetur causæ expeditioni. Secundò; Si grauitas negotij requirere videatur; seu quia iure expressum est, vt grauis & nõ subdelegabilis causa censetur, vt in c. is cui, 12. in 6. seu quia qualitas negotij talis est, vt non facillè ab alio expediri possit, vt Innoc. hic docet, n. 2. Abb. n. 6. & plura leges apud Felinum super hoc §. n. 2. & 4.

§. Cæterum.

SI cui à Sede Apostolica commissum sit, vt erucem prædicet (pro recuperatione terræ sanctæ) vel excommunicet, aut absoluat aliquos, vel cum irregularibus dispense, vel pœnitentias iniungat, non potest tale quippiam alteri committere: quia non iurisdictio, sed certum aliquod ministerium ei commissum est: Excipitur verò Legatus Apo-

Apostolicus, qui talia per alium exercere potest. Idque propter multitudinem negotiorum, ait Felinus hic, quæ solis expedire non potest.

NOTANDUM. Quod dicitur, Principis delegatum causam sibi commissam alteri de mandare posse, intelligitur de iurisdictionalibus: Sed nudum ministerium, seu executionem sibi à Principe delegatam personaliter plerumque exequi debet. Tamen verò casus in specie hic exprimentur, tamen ratio adiecta ostendit, de omnibus casibus similibus idem de iure dicendum esse, per regulam quam tradunt DD. in l. cum pater, 77. §. dulcissimis, ff. de legatis, 2. Quod ratio adiecta dispositioni eam restringat, vel extēdat: Siue, ubi eadem omnino dispositionis ratio est in lege expressa, idem ius censi debet.

Hæc verò non ita intelligenda sunt, quasi in nullo casu ministerium nudum Commissarius alteri delegare possit: Nam interdum talis est commissio, ut appareat æquè per alterum præstari posse, ut constat aperte ex c. is cuius 2. eod. tit. in 6. Sed dicendum est, Principem causæ alicuius executionem, aut nudum ministerium committendo, frequentissimè attendere ad industriam personæ, ut in exemplis prædictis, & alijs similibus, quæ in executore industriam, & rerum peritiam requirunt. Rationem affert Abb. hoc c. §. is autem, n. 6. Cùm in articulo iurisdictionali secundum publicas leges procedendum sit, perinde fermè esse solet, quisnam Iudex constituatur, dummodò legum peritus sit. At verò in nudo ministerio, & executione potius operatur hominis industria, & auctoritas: quare sæpe ad eam Princeps respicere solet.

Sed quærunt hic primò: Si nudum ministerium alicui commissum sit, sub nomine dignitatis, utrùm ab eo ad successorem transeat. Affirmari debet cùm Imola hic n. 36. Abb. n. 7. Felino n. 8. Menochio lib. 1. arbitr. 99. q. 68. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. n. 15. contra Bartolum in l. more ff. de iudicijs, & alios apud Sanchez. Nam ideo Episcopo v. g. sub nomine dignitatis causa

exequenda committitur, quia præsumptio est, quod etiam successores idonei ad executionem futuri sint, ut bene notavit Ioan. Andr. hic n. 25. Videri etiam potest Innocent. hic, n. 3.

Quærunt secundo: Si nudum ministerium, seu vera executio alicui commissæ sit, ut hominem excommunicet, vel absoluat, num ratione huius commissionis iurisdictione aliqua ei competat. Gl. margin. hic, & Abb. n. 5. negant. argum. huius textus: Præterquam si literis Apostolicis clausula adiecta sit, *contradictores compescendo*. Sed arbitror probabiliter dici posse cum Gl. hic ver. commissum, Ioan. Andr. n. 33. Imola n. 19. Si alicui commissio talis extra Curiam Pontificis fiat, quod compescere & punire possit, tamen si clausula illa adiecta non sit; cùm de iure insit, argum. c. præterea, 5. & c. ex literis, 29. hoc tit. ubi regula traditur, quod commissio vno, censentur etiam alia commissæ, sine quibus illud expediri nequit. Id verò maximè locum habet in Pontificijs mandatis, quarum expeditionem, propter Apostolicæ Sedis auctoritatem non conuenit impediri, aut retardari: Et specialiter, quod executor Papæ in prouisionibus beneficiorum, iurisdictionem habeat, quatenus ea neecessaria est ad mandatum implendum. Ad argum. in contrarium respondetur; Licet nudum ministerium v. g. excommunicationis inferendæ, aut promulgandæ, iurisdictionem per se non contineat; posse tamen per accidens adiunctam habere iurisdictionem, quæ etiam in hoc casu subdelegari poterit; licet ipsa executio non possit, ut docent hic Innoc. n. 4. Abb. n. 4. Et in simili tradit Specul. tit. de iudice delegato, §. vlt. n. 24. Licet Iudex conseruator quatenus sine indagine iudiciali de iniurijs manifestis tantum cognoscit iuxta c. 1. eod. tit. in 6. alteri vices suas committere nequeat, posse tamen committere cognitionem causæ, si dubitetur, an iniuria manifesta sit.

* * * *
* * *

CAPIT.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Conseruatores, qui à Sede Apostolica deputantur, à manifestis iniurijs ac violentijs defendere debent eos, quorum defensio ac conseruatio ipsis commissa est: Sed ad alia, iudicalem cognitionem exigentia, se intromittere non debent.

SUMMARIUM,

1. Conseruator est, qui à Papa datus ad defendendum aliquos aduersus iniurias & violentias manifestas, absque indagine iudiciali.
2. Recusari non potest, si requisitas qualitates habet.
3. Dari solent Iudices Conseruatores super quibuscunque violentijs & iniurijs.
4. Nec possunt tantum defendere ab iniurijs & violentijs illatis, sed etiam ab inferendis.
5. Regulares Ordines iniuriam passi in causis tam ciuilibus, quam criminalibus, siue actores, siue rei sint, Conseruatorem eligere possunt, qui non tantum in causa manifesta, sed etiam si iudicalem indagine requirat, sine strepitu iudicij procedat.

Conseruare idem est, quod seruare ius pristinum, uti notauit Cardin. Tuschus ver. conseruare, concl. 759. Quare Iudex conseruator proprijsimè dicitur ad seruanda & tuenda iura & priuilegia, quæ v. g. Regularium Ordinibus à Sede Apostolica concessa sunt.

Generalius autem, Iudex conseruator dicitur, qui à Sum. Pontifice datus est, ad defendendum aliquos aduersus iniurias, & violentias manifestas, absque indagine iudiciali. Est quidem controuersia inter Canonistas, vtrum ab inferiore Ordinario Con-

seruator dari possit: Affirmant enim cum Archidiacono Ancharanus hic q. 3. Dominicus col. 2. Negant verò cum Ioann. Andr. Syl. ver. Conseruator, q. 1. Azor. tom. 2. lib. 5. q. 6. Rodriq. tom. 1. regul. q. 65. a. 1. argum. c. huius, & c. vlt. cod. tit. Et verò secundum formam, quæ hodie Conseruatores dari solitos esse, dicam in fine huius c. & secundum amplissimam potestatem, ut à nemo, ne quidem à Legatis à latere, aut quibusvis Ordinarijs in suo officio impediti queant, sed contra ipsos impedire volentes procedere possint, uti Cardin. Tuschus refert ver. Conseruator, Hac, inquam, forma, & potestate certum est, Conseruatores à solo Papa dari posse.

Dantur autem, spectato communi iure, Conseruatores ad arcendas violentias, & iniurias manifestas, sine indagine & inquisitione iudiciali. Nomine iniuriæ intelligi debet quodcunque damnum iniuste illatum, ut bene docet Rodriq. a. 12. Manifestum autem dicitur, quod vel ita patens est in publico, ut nulla tergiversatione celari possit, vel si in iudicio notorium sit, ut si reus à Iudice Conseruatore citatus, secundum Gl. hic ver. cōseruatores, Syl. ver. conseruata, q. 3. dicto 1. Rodriq. cit. a. 12. ver. aduertendum, & sumitur ex c. vestra, 7. ver. non distinetur, de cohabit. Cleric. & mulierum. Etenim utroque casu, siue iniuria notoria sit euidentia facti, siue confessione Rei coram Iudice, cessat dubium & iudicialis inquisitio seu examen.

Quòd si verò Reus citatus, mox obijciat iniuriam notoriam non esse, aut quod fecit se iure fecisse: tunc Conseruator hoc ipsum cognoscere potest, an videlicet crimen notorium sit, adeoque num in hoc casu iurisdicção sibi competat, hic docet Ioann. Andr. paulò post princip. Lopus n. 2. Ancharan. col. 1. Dominicus ad 1. Gl. Syl. cit. q. 1. argum. l. si quis ex aliena, 5. ff. de Iudicij, vbi generatim docent DD. quòd Iudex cognoscere possit, an sua sit iurisdicção. Nam alioquin inutilis fermè esset potestas Conseruatoris, si criminoso obijciète defectum notorij, de hoc ipso cognoscere non possit: Cùm autem Princeps potestatem alicui committit,

mittit. censetur etiam ea committere, sine quibus res expediri non potest. c. præterea, 5. extra, hoc tit.

2 Corollarium I. Licet alioquin Iudex delegatus tanquam suspectus recusari possit; id tamen speciale habet Conseruator, quod recusari non possit, si alias à iure requisitas qualitates habeat, de quibus in c. vlt. hoc tit. Ita Gl. communiter recepta ver. Conseruatores, in fine. Ratio est: Quia in notorijs non admittitur recusatio, vel appellatio: Sed Iudex Conseruator de notorijs tantum cognoscit. Ergo &c.

Cæterum si dubium sit de notorietate, & de hoc dubio Conseruator cognoscere velit, tanquam suspectus recusari poterit: sicuti & appellari à sententia interlocutoria, si factum notorium esse Iudex pronuntiet, ut bene notauit Cardin. Tuschus ver. Conseruator. concl. 760. ex Abb. p. 1. consil. 100. n. 3. ubi singulariter notat; Licet in facto notorio appellari non possit, c. cum sit. 5. §. præterea, iun. Gl. de appellat. tamen à sententia Iudicis declarantis esse notorium, appellari potest.

Corollarium II. Licet alioquin generalitas causarum præsentium, & futurarum à Papa delegari non soleat, cum per eiusmodi delegationem Ordinariorum potestati multum derogetur, uti Gl. aduertit in c. ad hæc 10. de rescript. Multò minus Iudex incertus delegari soleat, quem pars sibi elegerit: cum possit propitium seu fauentem sibi deligere, cum alterius partis detrimento, cit. c. ad hæc. Tamen Iudices Conseruatores à Papa dari solent super quibuscumque, violentijs, & iniurijs. Neque enim obstat primò; quod ordinariorū Iudicum iurisdictioni derogetur. Quia fauor pauperum, & oppressorum, præferunt Ordinum Religiosorum, id persuadet, ut in speciale Sedis Apostolicæ patrocinium recipiantur. Neque obstat secundò; quod oppressores, si laici sint, ad Ecclesiastici Conseruatoris forum trahantur: Cum enim Ecclesiasticas personas opprimunt, & vexant, eorumque crimen sit mixti fori, ut etiam ad Ecclesiasticum tribunal citari queant, c. cum sit, §. de foro compet. & tradit Couar.

in pract. qq. cap. 6. Non obstat tertio: quod causarum generalitas delegetur, & quidem Iudici Conseruatori electo v. g. Regularibus secundum eorum priuilegia. Cum enim spectato communi iure, Conseruator in causis dubijs iurisdictionem non habeat, sed tantum in manifestis iniurijs, non est periculum, ne in fauorem partis læsæ iniuste procedat, uti Ancharanus hic notat. col. 1. Deinde, si in causa dubia, aut iudiciale examen requirente procedere debeat, ut suspectus, iusta suspicionis allata causa, recusari poterit: ab eoque siue iudicialiter, siue extrajudicialiter grauante ad Sedem Apostolicam appellari. Denique Sum. Pontifex ex plenitudine potestatis suæ, ob fauorem publicum personarum, quæ se ipsas defendere non possunt, & sæpe opprimi solent, specialia iura & priuilegia, vltra communes canones concedere non prohibetur, uti Rodriq. notat, cit. q. 65. a. 1.

His addendum est primò: Quod Iudex Conseruator non tantum defendere possit ab iniurijs & violentijs illatis per censuras compellendo iniuriantem ad satisfactionem competentem; sed etiam ab iniurijs ac violentijs inferendis. Ut si aliquis paratus sit ad vim, aut bellum iniustum inferendum Ecclesiasticis personis, earum Conseruator sub censura excommunicationis præcipere illi potest, ut obstat, argum. c. Romana, 5. ver. Caueant, de sent. excommun. in 6.

Addendum secundò: Quod Summorum Pontificum priuilegijs ampla supra ius commune facta sit potestas Regularibus Ordinibus, ut iniuriam passi in causis tam ciuilibus, quam criminalibus, & siue actores sint, siue rei, Iudicem Conseruatorum eligere possint, qui non tantum in causa manifesta, sed etiam si iudicalem indaginem requirant, sine strepitu iudicij procedat, uti videre licet apud Syl. ver. Conseruator, q. 3. in fine, Rodriq. cit. q. 65. a. 12. Erasmi. Cokier de Conseruator. q. 1. & in comp. priu. Soc. Iesv, ver. Conseruator, §. 1. Imò admonet Gl. magna hic, Dominicus in c. vlt. hoc lib. & tit. §. Conseruatores, ver. Quæro, an indistinctè, Naar. c. 27. man. n. 125. Rodriq. cit. a. 12.

Pppp quod

quòd hodie plerumque Conseruatores dari soleant, vt iudicalem cognitionem habeant: Idque ex plenitudine Pontificiæ potestatis, ait Rodriq. hic a. 1. quæ canonum decretis ita alligata non est, quòd minùs ex iusta & publica causâ recedere possit. Plura dicuntur infrà c. vlt. hoc tit.

CAPITVLVM II.

Quia Pontificali.

PARAPHRASIS.

Iudices, & Conseruatores à Sede Apostolica deputati, in coactione ac punitione Episcoporum mandata ipsorum violantium, moderatione vti debent, propter reuerentiam Episcopalis culminis: Ita vt Episcopo contumaci primò Ecclesiæ ingressus interdicatur, postea officium sacerdotale, deinde ab officio absolutè suspendatur, & sic deinceps aggrauetur censura: nisi contumacia Episcopi nimis accrescat, vt excommunicatio inferenda videatur. Consentit c. sanè, 11. & c. pastoralis, 28. extrà, eod. & videri potest l. vlt. C. Vbi Senatores &c.

SUMMARIVM.

1. In censuris ferendis, præsertim contra personas ecclesiasticas, gradatim procedendum est, ita vt leuiores priùs inferantur.
2. Episcopus contra Iudicem excommunicare volentem, non obseruato hoc ordine, appellare potest, tanquam grauatus; si autem non appellet, sententia erit valida, licet Iudex malè agat, & puniri possit.

NOTANDVM Vn. In censuris ferendis, præsertim contra personas Ecclesiasticas sublimes, gradatim procedendum est, ita vt leuiores priùs inferantur, vti etiam significatur in c. vlt. in fine, vt lite non contestata, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. p. 2. c. 1. n. 6. Ratio est: Quia censura est pœna medici-

nalis, quæ ideo inferitur, vt reus à contumacia & culpa recedat, & Ecclesiæ obediat, iuxta c. 1. de sent. excom. in 6. Quare si finis iste per leuiora remedia obtineri potest, non est ad seuerissimam excommunicationis pœnam descendendum: nisi grauis, aut diuturna contumacia talem seueritatem exigere videatur, vt ecclesiæ auctoritas, & disciplina Ecclesiastica conseruetur.

QVÆRITVR I. Quæ hic dicuntur de Episcopis, an etiam locum habeant in electis ac confirmatis, sed nondum consecratis? Respondendum est affirmatiuè cum Ioann. Andr. hic princ. Dominico, ver. Quæro an iste textus. Nam generalis regula tradi potest ex Abb. in c. accedentibus, n. 3. de excess. Prælatorum; Quæ Episcopis ratione dignitatis Episcopalis concessa sunt, & non ratione ordinis, ea ab electis & confirmatis, quamuis non consecratis, exerceri posse, vti est dispensare, indulgentias dare, Confessarios approbare, exponere &c.

QVÆRITVR II. Si delegatus Papa, non obseruato hoc ordine, Episcopum sibi inobedientem ac contumacem statim excommunicet, num valeat sententia? Resp. Quòd Episcopus contra Iudicem excommunicare volentem appellare possit, tanquam grauatus. Sin autem non appellet, videtur sententia valida, licet Iudex malè agat, & puniri possit, secundum Gl. hic ver. aliter, Dominic. circa Gl. fin. Tametsi enim præmissio ordinis ab homine mandante præscripti vitiet processum, c. venerabili, 17. extrà, hoc tit. c. Pisanis, 19. de restit. Spoliatorum; non ita tamen, si ordo à iure præscriptus violetur, nisi is substantialis sit: Ordo autem ille substantialis cenferi non potest, dummodò contumacia Episcopi grauis & absolutè loquendo, capax sit tantæ censuræ.

CAPITVLVM III.

Si duo.

PARAPHRASIS.

Papa tribus Iudicibus causam aliquam delegauerat; duo eorum partem seu articulum

lum causam iurisdictionalem alijs commiserit: Quod si tertius delegatus cum duobus delegatis ad articuli eius cognitionem procedat, & pars litigans appellet, ad cuius tribunal appellatio tendere debet? Respondet Bonifacius VIII. In hoc casu non ad subdelegantes, sed ad Papam, ut primum delegantem, appellandum esse.

SUMMARIUM.

1. Si tota causa alicui committatur, appellandum est ad primum delegantem, si autem tantum articulus causa, ordinariè à subdelegatis ad subdelegantem appellari debet: nisi cum subdelegato vno vel pluribus cognoscatur delegatus.
2. Si Iudex ordinarius, v. g. Episcopus causam delegarit, semper à delegato appellabitur ad delegantem.

Aduerte, quod dubitatio ista moueatur, si non tota causa alijs Iudicibus commissa sit, sed pars siue articulus. Quia si tota causa committatur, constat ex e. super questionum, 27. §. Porro, appellandum esse ad primum delegantem. Sin autem articulus causam delegatus sit, ordinariè à subdelegatis appellari solet ad subdelegantem, cit. §. Porro. Sed ab hac regula exceptio ponitur, nisi cum delegato vno vel pluribus cognoscatur delegatus. Tunc enim si ad condelegatum appellaretur, absurdum hoc sequeretur, quod à pari appellaretur ad parem, cum tamen appellatio omnis ad maiorem seu superiorem tendere debeat, l. 1. §. Si quis, ff. de appell. c. anteriorum 28. §. illud, causa, 2. q. 6. Videri potest Ioann. Monachus hic n. 2.

Cæterum, si Iudex Ordinarius v. g. Episcopus causam delegarit, semper à delegato appellabitur ad delegantem. Ratio discriminis est: Quia tamen si Ordinarius causam in totum deleget, non potest tamen à se iurisdictionem abdicare; cum eam propriam & stabilem habeat: At verò delegatus, cum propriam non habeat iurisdictionem, sed concessam, eam in totum abdicare, & alteri committere non potest. Quæ ipsa etiam causa est, cur Or-

dinariis delegatam iurisdictionem semper reuocare possit, non item delegatus, si subdelegauit, & subdelegatus iurisdictione uti coepit. Ita notat Ancharanus c. si is cui, hoc lib. & tit.

CAPITVLVM IV.

Si contra.

SUMMARIUM.

1. Cum recusatur vnus ex duobus delegatis à Papa cum clausula: quod si ambo &c. Iudex non recusatus debet cognoscere: si non adsit ea clausula, ad arbitros recurrendum est.
2. Si vnus ex duobus iudicibus causam totam alteri subdelegauit, is autem ut suspensus recusetur, poterit de causa suspicionis proposita ante citationem factam subdelegans cognoscere.
3. Cum recusatur delegatus Episcopi, vel eius Officialis, de causa recusationis cognoscit Episcopus.
4. Si subdelegatus ad partem tantum causam a parte iam citata tanquam suspectus recusetur, causam suspicionis etiam subdelegans cognoscet. Si autem subdelegatus sit ad totam causam, arbitri eligendi sunt, vel condelegatus iudex debeat cognoscere, si adiecta sit clausula, quod si ambo &c.
5. Iudex ordinarius vel delegatus cognoscere potest, an sua sit iurisditio, nisi dubium existat circa ipsam iudicis personam.

Si duobus à Papa Iudicibus delegatis, contra vnum eorum causa suspicionis obijciatur, quæ si probata fuerit, legitima ceteri debet ad recusandum Iudicem, queritur, quis probationes admittere, & de causa recusationis cognoscere debeat. Respondet Bonifac. VIII. Si in commissione adiecta sit clausula, Quod si ambo non possint, vnus in causa procedat, tunc Iudex non recusatus debet cognoscere: Sin autem clausula illa non adsit, tum ad arbitros recurri debet.

Pppp 2 Vide

Vide quæ dicta sunt in c. suspicionis 39. extrâ, eod.

² Sed quæri hîc potest? Si vnus ex duobus Iudicibus causâ alteri subdelegauit, is autem vt suspectus recusetur, quis de causa suspicionis cognoscere debet? Respondeo & Dico I. Si tota causâ alteri subdelegata sit, & antequam citatio facta, partes suspicionis causam proponant subdeleganti, poterit is de ea cognoscere, iuxta c. super quæstionum, 27. §. Porro, extrâ eod. & tradit. Dominic. hic col. vlt. post Innoc. quem refert & sequitur Gl. hic ver. Episcopi.

Dico II. Si subdelegatus à parte iam citata tanquam suspectus recusetur, distinguendum est, vtrum tota causâ subdelegata sit, an pars: Si pars tantum siue articulus, subdelegans cognoscet, vt Gl. hic docet cit. ver. Episcopi. argum. cit. c. super qq. §. Si verò. Sin tota causâ alteri commissa sit, tunc arbitri eligendi sunt: Vel Iudex condelegatus cognoscet, si adiecta sit clausula, *Quod si non ambo*, vt colligitur ex hoc c.

§. Cùm autem.

³ Si contra delegatum ab Episcopo suspicionis causa opponatur, de ea Episcopus cognoscere debet. Idemque seruari debet, si Officialis Episcopi tanquam suspectus recusetur. Tamen si enim ab Officiali ad Episcopum appellari impossibile sit, c. 2. de consuet. in 6. potest tamen ad eum recurri, vt de causa suspicionis cognoscat.

Rationem discriminis dat Gl. fin. Quia de substantia appellationis est, vt tendat ad aliud tribunal maius, siue Iudicem maiorem. At causa recusationis etiam à pari, v. g. condelegato; imò etiam à minoribus, videl. arbitris, cognosci potest. Aliam rationem affert Gl. marginal. ex Ancharano hic not. vlt. Quia appellatio respicit iurisdictionem, quæ eadem est in Episcopo & Officiali eius. At verò recusatio respicit personam, quæ diuersa est; ideo appellatio ab Officiali ad Episcopum fieri nequit: Sed recusatio Officiali, non ideo etiam Episcopus recusat.

Sed quid si causa suspicionis perinde Epi-

scopum, ac Vicarium afficiat, vt videre est in c. insinuante, 25. extrâ, eod. quis tum cognoscet? Respond. cum Dominico in fine huius c. Arbitros eligendos esse, iuxta c. cum speciali, 61. de appellat. Quod ipsum quoque agendum esse ait hic Ioann. Andr. & Ancharanus, not. 4. si Episcopus in remotis partibus sit, vt ad ipsum quæstio referri facile non possit.

NOTANDVM Vn. Tamen si Iudex ordinarius, vel delegatus cognoscere possit, an sua sit iurisdicção, l. 2. ff. Si quis in ius vocatus, l. si quis in aliena. 5. ff. de iudicijs, limitari tamen debet: nisi dubium existat circa ipsam Iudicis personam; vt si obijciatur, quòd sit excommunicatus, infamis, amens & similiter, si vt suspectus recusetur, de tali exceptione Iudex cognoscere non potest; quia sicuti suspectus, aut deficiens censetur in causa principali, ita & in accessoria. Quare hoc casu Superior ad eundem est, vel arbitri eligendi. Ita docet Bartolus in l. quidam contulabat, n. 3. & seqq. ff. de re iudic. Ancharan. hic not. 3. Probus addit. 1. in Ioann. Monchum, contra Innoc. c. cum super, 23 n. 3. extrâ, hoc tit. Imò generalius loquuntur DD. in l. de iure, 37. ff. Ad Municipalem, quòd Iudex, cuius iurisdicção in dubium reuocatur, si inde comòdum percepturus sit, non possit ipsemet pro se sententiam ferre.

CAPITVLVM V.

Iudex.

PARAPHRASIS.

Si à Papa delegatus Iudex legitime reculari possit (quia v. g. dominus est impetrantis) non prohibetur causam sibi commissam alteri subdelegare, priusquam recusatio contra eam proponatur. Adeò vt si in totum causam subdelegarit, commissio ex hoc capite impugnari aut reculari non possit: Sin autem partem tantum siue articulum causæ alteri commisit delegatus, tum reculari potest, & commissio eius oppugnari.

SYM.

SUMMARIUM.

1. Si causa probabilis suspicionis contra iudicem delegatum proponatur, suspensa est iurisdictio & potestas eius; consequenter alteri subdelegare non potest.
2. Minus est aliquid in iudicio probatum esse; maius autem & efficacius quid secundum legitimas probationes esse iudicatum.
3. Partes non possunt in iudicem delegatum, cuius iurisdictio finita, aut omnino extincta est, consentire.

Ratio prioris responsi est: Quia Iudex quamvis suspectus, tamen reuera Iudex est: quare sicuti causam ipsemet cognoscere potest, si contra eum non excipiat, ita etiam alteri committere, antequam recusetur. Ratio posterioris est: Quia causa suspicionis personam delegati afficit, ideoque vitium personale est, quod ad successorem seu substitutum non transmittitur, argum. l. an vitium, §. ff. de diuersi. & temporal. prescript. Sed alia ratio est, si ipsa iurisdictio, aut commissionis valor secundum se in dubium reuocetur, vti constat ex c. penult. hoc lib. & tit. & notat Ioan. Andr. hic n. 1. Dominicus in princip.

Cæterum, si delegatus partem causæ duntaxat committat alteri, dum iurisditionem sibi ipsi reseruat, atque per sinistram affectionem nocere potest parti litiganti: quamobrem contra eum recusationis causa proponi potest. Ita Gl. hic ver. aliquid.

§. Post recusationem.

Proposita, aut etiam probata recusationis causa; Iudex delegatus vices suas alteri committere potest, si pars consentiat: sed eam nolente non potest. At postquam sententia lata est contra Iudicem recusatum, nequidem cum partium consensu subdelegare poterit, cum Iudex esse desierit.

NOTANDVM I. Si causa probabilis suspicionis contra Iudicem delegatum proponatur, suspensa est iurisdictio & potestas

eius: consequenter alteri subdelegare non potest. Ita docet hic Ancharan. not. 4.

NOTANDVM II. Minus est aliquid in iudicio probatum esse; maius autem & efficacius quid secundum legitimas probationes iudicatum esse, vti Gl. hic monet ver. super ea. Quæ de re habes Gl. elegantem in l. sed si possessori, ff. de iureiurando. l. 1. §. vlt. ver. probatum esset; vbi ait, quod ex sola probatione non noscitur actio in factum, nisi sequatur sententia; nec furto probato irrogatur infamia, nisi sententia, aut confessio intercedat. Sed iuramentum parti delatum ac præstitum, iudicialis sententiæ vim habet, vti ibidem dicitur. Vide Ioan. Monach. in fine, Ancharan. not. 5.

NOTANDVM III. Partes non possunt in Iudicem delegatum consentire, cuius iurisdictio finita, aut omnino extincta est, vti in casu proposito, per sententiam recusationis legitimæ aduersus Iudicem latæ. Ita etiam sumitur ex l. priuatorum, §. C. de iurisdict. Sed alia ratio est de Iudice ordinario; tametsi enim sententia recusationis contra ipsum ab arbitris lata sit, possunt partes mutari sententiã renuntiare iuri suo, & sponte ipsi se subijcere, vti colligitur ex l. 1. ff. de Iudiciis. Nam iurisdictio, si aliqua subfit, prorogari potest, non autem si nulla subfit: quia quod non est, non extenditur. Quæ ipsa etiam causa est, cur Iudex ordinarius v.g. Episcopus, tametsi vt suspectus recusatus sit, & contra ipsum pronuntiatum, possit ac debeat causam alteri non suspecto delegare, c. si quis contra, 4. iun. Gl. ver. executor, de foro compet. Sed delegatus, post latam sententiam, causam committere non potest, cum iurisditionem omnem amiserit, vti hic dicitur. Potest tamen appellare à sententia contra se lata. Quæ de re videri hic potest Ioan. Monach. n. 3. & 4.

Corollarium. Si Abbas v.g. cui à Sede Apostolica intuitu dignitatis causa delegata est, ante latam sententiam recusationis obiectæ moriatur, successor eius iudicare potest: quia cessat ratio recusationis, si facta fuerat ratione personæ, non ratione dignitatis. Quod si verò recusatus post latam sententiam

Pppp 3 tiam

tiam mortuus sit, transire iurisdictionem non potest, cum extincta sit. Ita Ioan. Andr. hic n. 1. Dominic. col. 2. §. Sed pone.

CAPITVLVM VI.

Quamuis.

SI delegatus Papæ causam totam alteri subdelegarit, ab eodem reuocare, seu iurisdictionem reassumere potest, si res integra sit, seu iudicium nondum cœptum per partis citationem: Cuius ratio est, quia iurisdictionem non censetur efficaciter transisse in subdelegatum, nisi eum eam exercere cœpit.

NOTANDVM Vn. Delegatus subdelegans, etiam in totum, re integra commissionem reuocare potest. Consentit l. iudicium, § 8. ff. de Iudicijs, vbi dicitur, quod *Iudicium soluitur vetante eo, qui iudicare iusserat*, vel Superiore eius. Est tamen discrimen inter ordinarium, & delegatum iudicem, quod ille causam alteri delegatam, etiam postquam cœpta, imò lis contestata est, reuocare, aut reassumere possit, vti Gl. ibid. notat. Sed delegatus si alteri vices suas commisit, censetur officio suo functus, & iurisdictione priuatus, postquam ab eo subdelegatus iudicium cœpit.

CAPITVLVM VII.

Si delegatus.

PARAPHRASIS.

Quidam à Sede Apostolica delegatus alteri commisit vices suas, hac forma, vt in causa procederet, quoties illum abesse contingeret: postea subdelegans moritur, hoc casu ait Bonifac. VIII. subdelegatum, si viuente illo iurisdictione vti cœperat, ad sententiam definitiuam procedere posse. Idemque sentiendum, si delegatus causam subdelegarat, donec eam reuocauerit.

* * *

§. Adeum.

SI delegatus alteri causam subdelegarit, donec reuocet; aut si sententiæ executionem, vel alium iurisdictionalem articulum sibi referuarit, his casibus si accidat appellari, etiam post latam sententiam, non ad primum delegantem, sed ad delegatum causa deferenda est.

SUMMARIVM.

1. *Delegatus absolute & limitate, aut conditionate, quoties eum abesse contigerit, aut donec reuocauerit, subdelegare potest.*
2. *Verba commissionis aut delegationis benigne explicanda sunt, potius vt valeat & perseueret, quam vt pereat & cesset.*
3. *Delegatus causam ita subdelegare potest, vt sententiæ executionem sibi referuet.*

NOTANDVM I. Delegatus non tantum potest absolute causam subdelegare, sed etiam limitate, aut sub conditione, quoties eum abesse contigerit, aut donec reuocauerit. Cuiusmodi limitatio ad id conducit, vt subdelegans non censetur iurisdictionem omnino à se abdicare. Ita hic notat Gl. ver. reuocandas, & ver. committi. Nam qui secundum priorem formam delegat, iurisdictionem assumit, si præsens sit, arg. e. si quem, §. de Procurat. hoc lib. & tit. Qui autem secundum formam posteriorem, ius reuocandi iurisdictionem retinet; reuocare autem iurisdictionem, sicuti & dare ad eum pertinet, qui iurisdictione præditus est.

NOTANDVM II. Verba commissionis, aut delegationis benigne explicanda sunt, potius vt valeat, & perseueret, quam vt pereat, & cesset: quia id inseruit ad causam velociorem expeditionem. Ita notat hic Gl. marginal. & colligitur ex textu: quia verba delegationis, si abesse me contingat, late accipiuntur, vt etiam morte interueniente, procedere possit subdelegatus. Nam abesse etiam dicitur, qui in humanis esse delinit, mulieris, l. 3. in fine, ff. de verb. signif. N

NOTANDUM III. Delegatus causam ita subdelegare potest, vt sententiæ executionem sibi referret: quo casu non censetur iurisdictionem omnino à se abdicare, aded, vt si contra latam à subdelegato sententiam appellatur, ad ipsum deferenda sit appellatio. Idemq; dicendum est, si articulum causæ medium, v.g. litis contestationem, aut testium receptionem sibi reseruauit: Veruntamen, si articulus, quem delegatus sibi reseruauit, peractus sit, censetur officio suo functus, vt postea non ad ipsum, sed ad primum delegantem appellari debeat, vt hic docet Ioan. Andr. n. 1. Dominic. col. 2. §. Sed pone.

CAPITVLVM VIII.

Cum plures.

PARAPHRASIS.

Si duo, vel plures à Papa dati sint Iudices delegati, aut executores, hac forma, vt plures, vel singuli procedant; censentur habere iurisdictionem in solidum, ita vt etiam vnus solus, qui præoccupauit, mandatum exequi debeat: eoque negotium inchoante, alij se intromittere non possint; nisi ille infirmitate, aliâue causa impeditus sit; vel negotij expeditionem malitiosè differat.

SYMMARIVM.

1. Si plures in solidum sint delegati, quilibet cognoscere potest, & datur locus præuentioni.
2. Et vno illorum causam inchoante censetur iurisdictione perpetuata etiam quoad alios.
3. Si tamen simul omnes cognoscere causam incipiant, ab vno sine reliquis expediri non potest.

NOTANDUM Vn. Si plures iurisdictionem habeant in solidum, ita vt etiam seorsim eam exercere possint, datur locus præuentioni: neque alij licitè, aut vali-

dè se immiscerent, nisi qui præoccupauit, exequi impeditus sit, aut malitiosè differat. Consentit l. 1. ff. de offic. consulis, & dixi de hoc in c. prudentiam, 2. i. hoc tit. Videri potest Ancharanus not. 3. Ioan. Andr. n. 2. vbi ait, si delegatus, qui inchoauit, in remotas terras abiit, & causa expedienda esse existimetur, quòd collega eam assumere possit.

§. Iurisdictione.

SI ex pluribus in solidum delegatis vnus negotium inchoauit, censetur iurisdictione perpetuata etiam quoad alios; ita vt si delegans moriatur, itémque delegatus, qui causam præoccupauit, reliqui delegati eandem finire possint. Ratio reddi debet: Quia ab initio Iudices dati sunt cum quadam comunione, vt non solùm coniunctim procedere possint, sed etiam diuisim, & ita quidem, vt si is, qui præoccupauit, impeditus sit, vel longè abeat, aut moriatur, alter in eius locum succedat, & causam perficiat. Vide Ioan. Andr. cit. n. 2.

QVÆRES: Si secundùm dictam formam Iudices dati causam simul cognoscere incipiant, potèstne ab vno sine reliquis expediri. Resp. cum Lapo hinc n. 3. Non posse vnum eorum sine alijs non requisitis, nec impeditis procedere, quia sicuti vno inchoante ac præoccupante alij procedere non possunt; ita & omnibus inchoantibus, ac veluti occupantibus causam, vnus sine alijs procedere prohibetur.

Porrò quæ hoc c. dicta sunt, locum non habent, si commissio facta sit sub ea forma; Quòd si non omnes &c. vnus procedat: tunc enim singuli procedere non possunt, nisi in defectum aliorum: quare non datur locus præuentioni, cum non habeant iurisdictionem in solidum.

CAPITVLVM IX.

Si super.

PARAPHRASIS.

Sicuti gratia alicui à Sede Apostolica facta morte concedentis non extinguatur, tam-

et si res integra sit, seu executioni non mandata; Ita etiam æquum est, vt si aliquis executor gratiæ deputatus sit, eius potestas morte deputantis non extinguatur: eò quòd accessorium naturam sequi debeat sui principalis. Nam alioquin vel gratia inutilis quandoque omnino fieret, vel eius executio longo tempore, non sine dispendio eius, cui gratia collata est, differretur.

S V M M A R I V M.

1. Gratia, qua eidem confertur, qui eam exequitur, morte concedentis non extinguatur, licet res integra sit.
2. Idem est, si alij etiam gratia facta sit, & alius eam exequitur: secus autem, si sit gratia facienda.

A Duerte: Quòd gratia interdum eidem confertur, qui eam exequitur, interdum verò gratia confertur alteri; alius verò est, cui executio mandatur. In priore casu, certum est, gratiam non extingui morte concedentis, tametsi res integra sit, seu priuilegiatus priuilegio suo nunquam vsus fuerit. Ita etiam habetur in c. si cui, 35. de præb. in 6. Quòd concessa alicui facultas conferendi beneficia personis idoneis, nullà nominatim expressà, non expiret morte concedentis: Idemque eo modo dicendum de facultate absoluedi à peccatis, censuris, dispensandi in votis, &c. Et nò tantùm si eiusmodi facultates à Papa concessæ sint, sed etiam ab alijs Ordinarijs, vt ex comuni docet hîc Dominicus. col. 1. Ancharanus in fine, Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 43. Suarez lib. 8. de legibus, c. 3. n. 5. Et hoc signum esse solet, si facultas absoluedi, dispensandi, beneficia conferendi indeterminatè, seu sine personarum determinatione, alicui seu personæ, seu communitati v. g. Religiosorum concessa sit, ipsius gratiam seu fauorem esse, qui morte concedentis non extinguatur, nisi tunc reuocetur, iuxta cit. c. is cui.

In posteriore autem casu distinguendum est inter gratiam factam, & faciendam. De gratia facta duntaxat sermo est in hoc c. vt

notat Gl. hîc communiter recepta. Ioan. Mo- nach. n. 5. Ioan. Andr. n. 2. Quare regula notanda est: Quòd sicuti gratia facta morte concedentis non expirat, ita neque executio gratiæ, tametsi res integra sit. Idque ampliari debet primò: Tametsi gratia acceptata nõdum sit; dummodò à Superiore ex debito officij facta, v. g. gratia beneficij Ecclesiastici, dispensationis, absolutionis. Ita docet hîc Lapus, & Dominicus, col. 2. ver. Quæro an iste textus, Sanchez cit. n. 43. & docui lib. 3. tr. 4. c. 1. n. 6. arg. c. si tibi absenti, 17. de præb. in 6. Ampliari debet secundò: Tametsi non executio mera, sed mixta cum aliqua causæ cognitione alicui mandata sit, vt docent Garcias p. 6. de benefic. c. 2. §. 3. n. 88. Gutierrez lib. 2. canon. qq. c. 17. Sanchez cit. disp. 28. n. 43. Vt si Pontifex in forma *Dignum* mandat alicui beneficium iam vacans conferri, si preces veritate nitantur, aut præmissa citatione partis, seu possessoris intrusi. Eademque ratione probabiliter dicitur cum Sà ver. gratia. n. 3. Garcia cit. §. 3. n. 12. Rodriq. to. 2. regul. q. 47. a. 7. Henriq. lib. 7. c. 21. n. 7. Sanchez n. 87. Si Papa, post intellectas causas dispensandi v. g. super impedimento matrimonij committat Officiali Episcopi, vt dispensationem conferat, si preces veritate nitantur, posse illum exequi, etiam post mortem Pontificis: Quia Pontifex, quatenus est ex sua parte, gratiam iam fecerat: executorem autem (quamuis mixtum, & cum causæ cognitione) Officialem constituit. Idemque dici debet de alijs eiusmodi executoribus necessarijs, qui ad gratiæ executionem deputati debent in provincia, iuxta Trid. Sess. 22. c. 5. de reform.

Neque obstat huic doctrinæ c. si cui, 36. de præb. in 6. vbi dicitur, si alicui à Sede Apostolica mandatum sit, vt certæ personæ v. g. Titio beneficium proximè vacaturū prouideat, morte mandatis expirare gratiam si res integra sit. Nam hæc est gratia non facta, sed facienda; cum ad incertum ac nõdum vacans beneficium collata, nullam omnino prouisionem ex parte Pontificis contineat, sed merum prouidendi mandatum, quod morte mandantis extingui solet. Secus verò

verò dicendum esset, si Papa alicui canoniam ipsemet conferret, atque insuper mandaret Canonici v. g. aut Officiali Episcopi, vt proximè vacaturam præbendam ipsi assignari faceret, vt bene monet Gl. in cit. c. si cui, Garcias cit. p. 6. §. 3. n. 305. Nam hoc casu gratia est facta à Papa, & executio alteri demandata. Accedit, quòd fortassè c. illud in materia beneficii, quæ ob fraudis periculum valde odiosa strictissimi iuris esse solet, specialiter constitutum fuerit, ideòque ad alios casus transferri non possit, vt Suarez annotauit c. 3. n. 14. Aliter verò sed minus conuenienter textui cit. c. explicant Sanchez loco cit. num. 87. & alij apud Garciam num. 302.

CAPITVLVM X.

Si is, cui.

PARAPHRASIS.

Episcopo, vel Abbati, nomine proprio non expresso, à Sede Apostolica causa delegata erat: is eam subdelegauit non in totum, sed reseruata sibi sententiâ: Cùm autem subdelegatus in causa procederet, interim subdelegans Episcopus, vel Abbas excommunicationem incurrit, aut vitâ excedit: hoc casu si accidat, vt à subdelegati sententiâ appelletur, ad primum delegantem deferenda est appellatio: ne si diutius expectandum sit, donec absolutio conferratur, vel alius Prælatu substituat, causæ expeditio cum partium damno nimis prorogetur.

SUMMARIVM.

1. Propter longinquam absentiam delegati, eo intermisso, appellari potest à subdelegato ad delegantem.
2. Si Episcopus, cui à Papa intuitu dignitatis causa demandata fuit, tempore data literarum in viuis fuit, mortuus autem est ante præsentationem, substituitur eam exequi potest.

NOTANDVM Vn. Licet ordinariè à subdelegato, cui causa non tota commissa erat, appellandum sit ad subdelegantem, & eo mortuo, ad successorè eius in dignitate, (si delegatio intuitu dignitatis facta fuit) vt constat ex c. cum te, 18. & c. super questionum, 27. §. porrò, extrâ hoc tit. limitari tamen id debet, Nisi exinde partibus litigantibus dispendium generari possit, quia causa nimis diu protraheretur. Etenim contra iuris communis tenorem, quædam specialiter constitui ad vitandum præiudicium litigantium, vel aliorum, monet Gl. hic ex c. Abbate, 3. de sent. & re iudic. in 6. Quare eadem ratione docent hic Ioan. Andr. n. 1. & Ancharanus not. 4. Propter longinquam absentiam delegati, eo intermisso, appellari potest à subdelegato ad delegantem. Longinquâ, inquam: nam si modicum, aut tolerabile sit impedimentum causæ protrahendæ, non idèo à communi iure recedendum erit. Quare etiam in casu huius c. si mox absolutio conferenda erit delegato, aut post breue tempus successor cum iurisdictione instituendus, tum ad eum, non ad primum delegantem appellatio deuolui debet, vt Ancharanus & Dominicus hic admonent, post Gl. hic ver. durante.

QUÆRUNT hic Lopus, & Dominicus, Si Episcopus, cui à Sede Apostolica intuitu dignitatis causa delegata erat, tempore datæ literarum in viuis fuit, sed mortuus ante præsentationem, vtrum exequi possit substitutus. Et rectè respondent, quòd possit: Quia rescripta Apostolica, perinde vt leges, vim ac valorem aliquem consequuntur ipsa expeditione, tamen non dum cognita, vel acceptata sint, vt supra etiam dictum.

CAPITVLVM XI.

Ab arbitris.

SUMMARIVM.

Ab arbitris iuris ad Papam appellandum est, à voluntariis absolutè appellari non potest, sed supplicari.

Q 999 Si

SI appelletur ab arbitris, qui ex iuris præscripto à partibus eligendi sunt, vt de causa suspitionis Iudici obiecta cognoscant, iuxta c. suspitionis, 39. extra, & c. si contra 4. hoc lib. & tit. Item si appelletur ab arbitris, qui ex præscripto c. pastoralis, 14. de re script. à partibus eligi debent, si diuersi Iudices super reuocatione literarum Apostolicarum discordent: his, inquam, casibus, ad Sedem Apostolicam appellatio deferenda est.

Ratio, cur non ad Iudices appellandum sit, ea dari debet, quia sicuti ipsi dubij ac suspècti sunt circa causam principalem, ita etiam circa accessoriam, à qua appellatur: Vt quia arbitri dilationem nimis breuem concesserunt, c. 1. de dilation. vel sententiam super causa suspitionis iniquam pronūtiarunt.

Cōtra hæc obijci solet, quòd ab arbitris appellari non possit, l. 1. C. de recept. arbitris, c. sanè, 34. caus. 2. q. 6. secundum verà eius lectionem. Respondet hìc Gl. cōmuniter recepta, ver. appellandum, Ancharan, ibid. Gl. marginalis, in l. arbitrio, 9. ff. Qui satis dare cogantur, Ioach. Mynsinger lib. 4. obseruat. 68. Quòd arbitri alij sunt voluntarij, qui libera partium voluntate eliguntur, & ab his non appellatur: quamuis si iniquum arbitramentum, seu laudum pronuntiasse videantur, Iudici supplicari, seu officium eius implorari possit, vt Gl. margin. hìc notat, ex c. 2. de arbitris. Alij verò sunt arbitri necessarij, qui ex iuris, aut statuti alicuius præscripto vel Iudicis coactione à partibus eligi debent: & ab his appellari potest ad eum, qui iuri aut statuto præsidet, vel qui ad arbitros eligēdos compulit, vt hìc apparet. Ratio est: Tum quia horum arbitratorum pronuntiatio magis ad iudicialis sententiæ naturam accedit, aded vt exinde actio in factum nascatur, teste Mynsingero in cit. loco: tum quia æquum est, vt ijs potius per remedium appellationis succurratur, qui ad arbitros cōpulsī sunt, quàm vt ijs, qui sponte eos elegerunt: sibi enim imputare debent, quòd in eos vltro consenserint. Ita Gl. fin. hìc, & Ancharanus. Non desunt tamen DD. apud Domin. Geminianum hìc, in fine c. Gl. margin. in cit. l. arbitrio, qui arg. eius l. vniuersim, do-

cent, ab arbitris electis super incidente in iudicium appellari posse.

CAPITVLVM XII.

Is cui.

PARAPHRASIS.

Si cui Papa commiserit, vt personæ certæ in certa Ecclesia, diocesi, aut prouincia beneficium prouideat, potest is prouisionem hanc alteri committere. Sin autem nullā certā personā nominatā, alicui mandetur, vt personæ idoneæ certam Ecclesiam vel beneficium prouideat, non potest prouisionem alteri demandare: eò quòd ipsius indultriæ specialiter electa censetur. Præterquam, si in forma commissionis ipsi factæ contineat, vt per se, vel per alium exequatur.

SUMMARIVM.

Executor datus à Papa vices suas alteri committere potest nisi persona indultria electa fuerit.

NO T A N D V M Vn. Executor à Papa constitutus interdum vices suas alteri committere potest. Cui tamen contradicere videtur c. vlt. §. ceterum, extra, eod. Resp. vt ibi dictum fuit, Regulam, quæ ibi traditur, quòd executor constitutus alteri vices suas delegare non possit, vniuersaliter veram non esse; sed tantum, si ex qualitate causæ, seu commissionis præsumi possit, personæ indultriam electam fuisse. Vt in casu huius c. Si ipsemet cōmittens principalis nominet personam, cui beneficium prouidendum sit, si idonea reperiatur, seu, si preces veritate nitantur, tum parum plerumq. refert, vtrum per se, an per alium exequatur. Sin autem nulla persona nominata, eius arbitrio & electioni committatur, cui prouidendum sit, tum committens censeri debet ad indultriam, & discretionem respexisse.

Exinde infert hìc Domin. Si testator executores constituit, quorum arbitrio & electio

electione inter pauperes legata distribuatur, quod non possint hoc mandatum, seu fidei commissum per alios exequi; cum censeatur electa industria, & discretio eorum. Secus autem, si ipsemet testator certos pauperes, aut pias communitates, seu Ecclesias nominauit, quibus legata dari debeant.

CAPITVLVM XIII.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Sicut à Sede Apostolica mandatum sit, ut in certo loco inquisitionem instituat, vel aliud peragat, atque propter malitiam & potentiam eius, contra quem inquiri debet, aut fauorum eiusdem, eo loco securè exequi nequeat, tum alium locum commodum & securum ad executionem eligere potest: ne alioquin malitosè impedire volens ex fraude sita commodum reportet. Idemque agendum, si alia rationalis causa subsit, ob quam in loco designato executio mandati perfici nequeat; ne alioquin mandatum Apostolicum impediri, aut nimis differri contingat.

SUMMARIVM.

1. Locus iudicij debet primò esse idoneus, hoc est, non longè distans à partibus atque personis, à quibus inquisitio capienda. Secundo, securus, ad quem tui partes, Aduocatus & testes accedere possint. Tertiò, honestus, ut iudicium non fiat in lupanari, tabernà, &c.
2. Si locus in fauorem partium designatus est pro iudicio ab inferiore Ordinario, cum consensu communi partium, potest iudicium ad alium locum prorogari, modo is subiectus sit deleganti, vel accedat consensus eius iudicis, qui iurisdictioni præest.
3. Absque consensu partium non potest alium locum deligere iudex delegatus, si non procul absit Ordinarius, vel aliunde periculum in mora non sit.

Quod Bonifacius VIII. tradidit in c. statutū. 11. de resc. in 6. §. in nullo; Iudicē, cui commissum est, ut causam in certo loco cognoscat, absq; partium consensu non posse aliū locum eligere: id in hoc c. ab eodem Bonifacio limitatur. Nisi vel ob malitiā aduersarij, vel quamcumq; aliam causam delegatus Papæ impediatur in loco sibi constituto procedere, tunc alium idoneum & securum eligere posse.

NOTANDVM I. Propter necessitatem aliqua permittuntur, quæ alioquin secundum ius concessa non sunt: cum necessitas legi non subiaceat, c. 2. de obseru. ieiunij.

NOTANDVM II. Circa locum iudicij duplex consideratio esse debet: Prima, ut idoneus sit: videl. non longè distans à partibus, atque personis, à quibus iurisdictioni capienda est: ne ob itineris longitudinem sumptus magni fieri debeant, arg. cit. c. statutum, §. cum autem, & l. cum post, 26. C. de appellat. Deinde, ut sit securus locus, ad quem partes, itēq; Aduocati, ac testes sine periculo accedere possint, c. accedens, 4. Vt lite non contestata, c. ex parte, 47. de appellat. Altera consideratio; ut locus in quo iudicium peragitur, honestus sit, non in taberna, aut lupanari, ait Aneharanus hic.

QVÆRIT Gl. hic ver, Apostolica sede. Si ab inferiore Ordinario causa committatur in certo loco tractanda, & ibi non possit, num in alio comodo & honesto tractare licitum sit. Respondeo & dico I. Si locus in fauorem partium (ut plerūque fieri solet) designatus sit, possant partes communi consensu iurisdictionem ad alium locum prorogare, dummodò deleganti subiectus sit, vel accedat consensus eius Iudicis, qui iurisdictioni præest, uti docet Abb. in c. P. & G. n. 12. extra eod. tit.

Dico II. Absque partium consensu Iudex delegatus non potest alium locum deligere. Quia si impedimentum incidat, quò minus in loco designato processus institui queat, plerumque Ordinarius delegans, v. g. Episcopus consuli poterit. Ita Gl. cit. Si tamen is longè absit, vel ob aliam causam periculum in mora sit, ut causa diutius differri non possit,

possit, arbitror, quod delegatus quilibet, spectata qualitate causæ, alijsque circumstantiis, ad alium locum partes citare non prohibeatur. Cum enim hoc casu eadem ratio necessitatis, & cuiusdam æquitatis, militet in delegato Episcopi v. g. quæ in delegato Papæ, idem ius censei debet.

CAPITVLVM XIV.

Si à subdelegato.

PARAPHRASIS.

Papa Titio causam delegat: is subdelegat Caiō referuatā sibi sententiā, vel executione: Cum autem Caius partem citasset, ea exceptionem proposuit, quod non teneatur coram ipso respondere; eod quod Papa delegans mortuus fuerit, antequam causa vel à delegato, vel subdelegato cœpta esset. Sed Caius reiecta exceptione, procedere volebat: Tum pars ad appellationem confugit. Quæritur ergo, ad quem appellare debeat. Respondet Bonifac. VIII. Quod ad primum delegantem: Si enim pars litigans appellaret ad delegatum, esset contraria sibi ipsi, quia appellando fateretur delegatum iurisdictione præditum esse, quod tamen antea excipiendo contra eundem negarat. Quare idem quoque dicendum in alijs omnibus casibus, quibus delegatus negatur iurisdictionem habere, quod non ad ipsum, sed ad primum delegantem appellari debeat.

SUMMARIUM.

Si Reo negante iurisdictionem delegati, subdelegatus pro delegato pronunciet, appellandum est ad primum delegantem.

NOTANDVM I. Etiam ipse Iudex subdelegatus, si negetur ipsi iurisdictione, de hac causa cognoscere potest: præterquam si ut suspectus recusetur, sicuti dixi in c. si contra, 4. hoc lib. & tit.

NOTANDVM II. Tametsi ordinariè appellatio à subdelegato fiat ad subdelegatam,

si quippiam de iurisdictione sibi referuatā, c. super quæstionum, 27. §. porro, extrà, eod. & c. si delegatus, 7. hoc lib. & tit. excipi tamen debet, si Reo inficiante iurisdictionem delegati, subdelegatus pro delegato pronunciet, tum si à sententia ista appelletur, ad primum delegantem appellandum erit. Porro causas, ob quas iurisdictione delegato negari potest, recenset Gl. hic, ver. in alijs casibus, Videt. si dicatur subdelegatum tempore rescripti excommunicatum, aut aliàs subdelegationis incapacem; aut commissionem ab eo reuocatum, &c.

Quærit hinc Gl. ver. processum: Si postquam delegatus causam subdelegauit, moriatur primus delegans ante partium citationem, num perpetuata sit iurisdictione, an extincta. Et ipsa respondet; Perpetuatam esse: Cum enim subdelegare iurisdictionis actus sit, sequitur causam non esse integram, sed cœptā. Sed contrarium est verum, quod docui in c. licet, 30. extrà, hoc tit. & satis colligitur ex textu, ver. antequam in aliquo processum.

CAPITVLVM VLT.

Hac constitutione.

PARAPHRASIS.

Statuit Bonifac. VIII. vt Conseruatores, quæ à Sede Apostolica concedi solent, vt ab iniurijs ac violentijs manifestis tueantur, deputari non possint, nisi Episcopi, aut Superiores eorum, vel Abbates, vel qui dignitatem, seu personatum in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata obtinent. Neque conseruatores aliquis habere possit eum, cui ipsemet Conseruator datus fuit. Sed neque aliquis conseruatores habet, qui sub ipsius iurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, aut temporali existit: Excipiuntur tamen Reges, ac Regnantes, si ipsis Conseruator datus sit, qui in temporalibus subiectus.

SUMMARIUM.

1. Conseruator iudex delegatus est, differt tamen in aliquibus ab alijs delegatis.
2. Relic.

2. Religiosi Ordinum mendicantium præter personas hac constitutione expressas in suos Conseruatores assumere possunt Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, & Vicarios Episcoporum.
3. Non possunt Conseruatores ultra dietam cognoscere, aut partem citare exceptis Mendicantibus, quorum Conseruatores per priuilegia eis concessa extra prouincias partes trahere possunt, modo non ultra tres dietas.
4. Conseruator non potest causam, vel articulum cause alteri committere, nisi in literis Apostolicis talis licentia concessa sit, excepta citatione partium, & denuntiatione sententiæ.
5. Si Conseruatores de alijs, quàm de manifestis iniurijs, & violentijs cognoscant, seu ad alias quæ iudicalem indaginem requirunt, se intromiserint, per annum ab officio sunt suspensi; pars autem, quæ hoc fieri procurat, excommunicationem incurrit.
6. Conseruatoris officium per mortem concedentis Papæ expirat, quoad negotia nondum cæpta.
7. Religiosi etiam vacante Sede Apostolica Conseruatores deputare possunt; hijs tenentur causam suscipere, & exequi, etiam inuocato, si opus sit, auxilio brachij secularis.

NOTANDVM Vn. Tametsi Conseruator sit Iudex delegatus, multa tamen peculiaria habet, in quibus ab alijs delegatis differt: Nam delegatus Papæ potest esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, non item Conseruator: Iudex delegatus imperari potest ab aliquo, cui & ipse in alia causa delegatus Iudex datus est: sed & ille, qui subditus suus est: saluo in utroque casu iure reculationis, seu exceptionis: Sed Conseruatoris deputatio in his casibus irrita est ipso iure, sicuti constat ex fine huius c. Ita Gl. in hoc c. ver. edita. Aliæ differentie infra ponuntur.

Porro Religiosis Ordinum Mendicantium Pontificijs priuilegijs concessum est,

vt præter personas hac constit. expressas, etiam Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, Vicarios Episcoporum (de quibus spectato communi iure dubitari posset) assumere possint, vt videre licet apud Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 65. a. 3. & Compend. priuileg. Societatis Iesv, ver. Conseruator, §. 1.

§. Conseruatores.

Non possunt Conseruatores ultra dietam, seu iter diei mensurandam à finibus diocesis, aut prouinciæ, in qua deputati sunt, cognoscere, aut partem citare. Idem de delegato Iudice habetur in c. rescriptum, 11. §. cum verò, de rescript. Differentia autem est secundum Gl. hic; quòd iurisdicctio delegati cum partium consensu de loco ad locum prorogari possit, cit. c. statutum, §. in nullo: Sed non ita iurisdicctio Conseruatoris, vt ex fine c. colligitur.

Sed huic Constitut. derogatum esse per priuilegia Mendicantibus concessa, dummodò eorum Conseruatores non ultra tres dietas extra prouincias partes trahant, leges apud Rodriq. cit. q. 65. a. 7. Vide etiam Compend. Priu. Soc. Iesv, ver. Conseruator, §. 4.

§. Vices.

Iudex Conseruator non potest causam, aut articulum cause alteri committere, nisi in literis Apostolicis talis licentia concessa sit. Excipiuntur verò citatio partium, & denuntiatio sententiæ: quas Conseruatori alijs personis eiusdem diocesis ac prouinciæ committere concessum est, dummodò eam qualitatem habeant, vt Sedis Apostolicæ Conseruatores esse queant.

NOTANDVM Vn. Differentia etiam hæc est inter Sedis Apostolicæ delegatum, & Conseruatorem; quòd ille causam totam vel nõ totam liberè subdelegare possit. Non item conseruator, nisi in dictis casibus. Verum per priuilegia Mendicantibus concessa eorum Conseruatores vices suas alteri committere posse, tradit idem Rodriq. a. 10. &

habetur in Compend. Priuileg. Societ. I. s. v. §. 2.

§. Vt autem

S I Iudices Cōseruatores limites potestatis suæ excedendo, de alijs quàm manifestis iniurijs cognoscant, vel ad ea, quæ iudicalem indaginem requirunt, se intromittant, per annum suspensionem ab officio ipso iure incurrunt. Pars verò litigans, si talem Cōseruatori inconcessam cognitionem fieri procurat, excommunicationem incurrat, à qua absolui non potest, priusquam alteri parti integrè restituat expensas, quas ob eam causam facere debuit.

Sed quòd Cōseruatores Religiosorum etiam in non manifestis, ac iudicalem cognitionem requirentibus procedere possint, dixi in c. 1. hoc lib. & tit.

§. Officium.

Cōseruatoris cuiuscunq; officium per mortem concedentis Papæ ipso iure expirat, quoad negotia nondum cœpta. Sed dubium est: Si Religiosi Cōseruatorem deputent ad cōseruationem priuilegiorum suorum, accidat verò Pontificem vitæ excedere, vtrum Cōseruator ab eis deputatus procedere possit, tametsi ante mortem Pontificis causam non cœperat. Videtur negare Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. a. 43. argum. huius c. Sed contrarium asserendum est cum Rodriq. cit. q. 65. a. 6.

Si enim priuilegium Cōseruatores deputandi à Sede Apostolica Religiosis concessum perpetuò durat, donec reuocetur, sequitur quòd semper, etiam vacante Sede Apostolica, Cōseruatores deputare possint, ijque teneantur causam suscipere, & exequi, etiam inuocato, si opus sit, auxilio brasij secularis, sicuti in priuilegijs continetur.

Sed verum est antecedens, vti rectè ostendit Rodriq. cit. loco: Eò quòd priuilegia Ordini Regularium alteriue Communitati concessa in eo de natura realium priuilegiorum, participant, quòd cum personis extingatur, vti constat ex l. forma, 4. §. quamquam, ff. de censibus, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 23. n. 4.

Confirmatur: Vel Cōseruatoris officium ac potestas inutilis & irrita esset, propter mortem v. g. Pij V. qui priuilegia Regularibus concessit, vel inutilis ac irrita fieret per mortem huius Pontificis. Non primum: quia tum fateremur, penitus sublata esse priuilegia illa Regularium, quod nemo ait. Non secundum: Quia in c. hoc dicitur, officium Cōseruatoris extingui per mortem concedentis: Pontifex autem qui nunc moritur, Cōseruatorem non concessit, vt primus: Ergo &c.

Quare respondetur ad argum. ex hoc §. desumptum; Si Papa ipsemet Cōseruatorem specialiter ac directè designauit ad priuilegia Religiosorum in aliquo casu defendenda, eius potestatem extingui quoad negotia non cœpta, per mortem committentis: Secus, si priuilegium datum sit Regularibus, vt ipsi quocunq; occurrente tempore Cōseruatorem sibi eligere seu deputare possint. Cùm enim deputatio Cōseruatoris in hoc casu proueniat ex priuilegio perpetuo, eius naturam sequi debet, vt talis Cōseruator non auctoritate huius, aut illius Pontificis, sed ipsius Apostolicæ Sedis, quæ semper durat, delegatus censeri debeat, argum. c. si super 9. hoc lib. & tit.

§. Circa.

Quæ in cit. c. statutum, §. Insuper, & seqq. circa Iudices delegatos à Bonifac. VIII. decreta sunt, ea etiam à Iudicibus Cōseruatoribus obseruari debent.